

D * T * D



6 7 5

5377

an gels. 9

GVILHELMI
FABRICI
HILDANI

Observationum & Curationum Chei-
rurgicarum

CENTVRIA SECVNDA.

*Epistolis nonnullis virorum doctissimorum,
nec non instrumentis cheirurgicis, ab
authore inuentis illu-
strata.*



GENEVÆ,
Apud Petrum & Iacobum Chouët.

M. D. C. XI.



PRÆCEDENTIS
FABRICIANI EM-
BLEMATIS

EXPLICATIO.

Nodosum, intortus, baculum complectitur
anguis,

Aduersa, gallus, stat regione, vigil.

Margaris, at nitido, pendens, splendore, corusco

Inter utrumque, tenet quam radiata manus.

Vis sensum in baculo nodi torto, Medicina

Nodosum studium, & difficile esse notant.

Prudentis serpens, vigilis sed gallus imago

Est Medici: Indicium gemma salutis habet,

Qua velut ex supera pendens dimittitur aura

Cœlitus aegroti sic valetudo redit.


Si vigil & prudens, quemque experientia doctum

Reddidit, illius curam habeat Medicus.

Iohann. Durenheimius P.

Notar. Cæsareus, ciuis

Bernensis P.



I
M
B
R
M
M
R
C
M
R



ILLVSTRISSIMIS
POTENTISSIMISQVE
PRINCIPIBVS AC
Dominis
DOMINO



CHRISTIANO II. S. RO-
MANI IMPERII AR-
CHIMARSCHALLO ET
ELECTORI, DVCI SA-
XONIAE, IVLIAE, CLI-
VIAE, ET MONTIVM, LANDGRA-
VIO THVRINGIAE, MARCHIONI
MISNIAE, BVRGGRAVIO MAGDE-
BVRGENSI, COMITI MARCHIAE,
RAVESBVRGI, ET MOERSIAE, DO-
MINO IN RAVENSTEIN &c.

DOMINO

IOANNI SIGISMVND, MAR-
CHIONI BRANDEBVRGICO, S. RO-
MANI IMPERII ARCHICAMERA-
RIO ET ELECTORI, PRVSSIAE, IV-

* ij

LIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI,
POMERANIAE, CASSVBIORVM,
VVANDALORVM, ET IN SILESIA
CROSSORVM, ET IEGERNDORFII
DVCI, BVGGRAVIO NORIBER-
GICO, RVGIAE PRINCIPI, COMITI
MARCHIAE, RAVESBURGI, ET
MOERSIAE, DOMINO IN RAVEN-
STEIN &c.

DOMINO

ERNESTO MARCHIONI BRANDE-
BURGICO, PRVSSIAE, STETINI, POME-
RANIAE, CASSVBIORVM, VVANDALO-
RVM, ET IN SILESIA CROSSORVM,
ET IEGERNDORFII DVCI, BVGGRA-
VIO NORIBERGENSI, PRINCIPI RV-
GIAE &c.

DOMINO

VVOLFANGO VVILHELMO, COMI-
TI PALATINO, BAVARIAE, IVLIAE, CLIVIAE
ET MONTIVM DVCI, COMITI
VELDENSI, SPANHEIMII, MARCHIAE,
RAVESBURGI ET MOERSIAE, DOMI-
NO IN RAVENSTEIN &c.

Principibus & Dominis suis cle-
mentissimis

Hanc

Hancce Observationum & Curatio-
num cheirurgicarum

CENTURIAM SECUNDAM

GVILHELMVS FABRICIVS
Hildanus

In perpetua observantia monumentum

L. M. Q.

DEDICAT CONSECRATQ.

z̄ iij





EPISTOLA DE
DICATIONARIA.



QVOD misera ad-
modum deploran-
dáque, PRINCIPES
ILLVSTRISSIMI AT-
QVE POTENTISSI-
MI, hisce postremis exulceratissi-
mísque seculis, mortalium sit con-
ditio, quod tantis, imo infinito-
rum morborum generibus obno-
xius sit homo, nullus, profectò, mi-
rari debet. Ita enim malitia homi-
nis in dies accrescit, ita charitas
Christiana decrescit, & extingui-
tur,

DEDICATORIA.

tur, vt mirum, quod DEVS iustif-
 simam suam iram, in humanum
 Genus non effundat planè, iterùm-
 que mundum, vt tempore Noë, ex-
 tinguat, atque inuertat. Vt enim de
 Barbaris taceam, quodnam, quæ-
 so, sceleratorum genus, inter eos,
 qui se Christianos esse profitentur,
 non inuenitur? Hæc Satanæ, & à
 primis parentibus infusa hominis
 corruptissima natura, mundúsque
 faciunt.

Cæterum etsi clementissimus
 ille Pater cœlestis, pro sua iustitia
 humanum genus funditus delere
 possit, ea tamen eius est miseratio,
 vt interim dum homo sceleratâ
 suâ vitâ in DEVM insurgere audet,
 ille media omnia, vt in ordinem,
 meliorémque vitæ conditionem
 reducatur, peccata atque flagitia
 sua agnoscat, pœnitentiámque agat,

suppeditet. In hunc finem, benignus ille cœlestis pater, non tantum per seruos suos verbum suum sacrosanctum annunciari mandat: morbos varios, quibus tanquam virgis inobedientiam, & lasciuiam nostram castiget, immittit: verū etiam ab initio media ac medicamenta varia, imo infinita, quibus morbi, quantumuis grauissimi, arceri, ac vinci queant, creauit. Homines quinetiam doctrinâ, & eruditione, qua omnia, ritè & cum iudicio applicari possint, beat, & exornat. Hæc me non rarò ita in admirationem rapiunt, vt cū Psalmista exclaimem. *Quam mirabilia sunt opera tua Domine? Tu solus magnus es, & mirabilia facis.* Mirabilia autem illa opera Dei, immensaque illius misericordia, etiamsi in omnibus rebus conditis appareant, circa hominem tamen,

men,

DEDICATORIA.

men, & in primis in morbis, operationibusque cheirurgicis, præcipuè elucescunt. Quid enim, quæso, admirabilius, quam ex cerebri, pulmonis, vesicæ, intestinorumque vulneribus cõualescere? Attamen, diuino aspirante fauore, me aliquãdo harum partium vulnera curasse, testes sunt multi viri docti, testes & nonnulli ex ægris qui etiamnum superstites sunt. Verùm hîc Hippocratis dogmata, quæ vulnera prædictarum partium insanabilia pronunciant, obmutescunt, suntq; huiusmodi curationes potius ad singularem Dei prouidentiã, quam artis industriam referendæ.

Porro ne maxima illa & immensa Dei opera, eiusque clementiæ testimonia, quæ quotidie in curandis ægris mihi, per diuina præsidia, obseruare datur, obliuioni traderẽ-

tur, sed potius posteros quoque ad
Diuinam potentiam celebrādam,
inuitarent, vt in conscribendis ob-
seruationibus & curationib. Chei-
rurgicis progrederer, operæ pretiū
esse, mihi visum est. Non tamen in
illum finem, vt illas in proprium
mei, aut meorum mihi reseruarem
vsū, quin potius publici iuris fa-
cerem, studiumque cheirurgicum,
meis vigiliis, aliquomodo promo-
uere tentarem. Deinde quum pri-
mam Centuriam, Cheirurgiæ stu-
diosis, ita gratam, acceptamque fu-
isse, viderem, vt Clarissimus atque
celeberrimus vir DN. D. PETRVS
VFFENBACHIVS Reip. Francofur-
tensis Physicus ordinarius illam
Thesauro Cheirurgiæ, superiori an-
no edito, adiungendam dignam
censuerit, ad hoc studium conti-
nuandum, non mediocriter accen-
sus

DEDICATORIA.

sus sum. Non solū vt memetipsum
exercerem, verum etiam vt Chei-
rurgiæ tyronibus aliquomodo, si
non solatio, saltem incentiuo esse
possem. Quam vtilis enim in cu-
randis ægris sint obseruationes,
quàmque prouidum, cautum, &
circumspectum efficiant Cheirur-
gum, etiam mediocriter in reme-
dica versati norunt.

Etsi autem Obseruationes huius
Centuriæ, omnes, omnibus, & præ-
cipuè iis qui in praxi diu versati, ra-
ræ non sint, cōtinent tamen omnes
fere aliquid, quod palato tyronis
nō ingratum, multò minus in pra-
xi inutile fore cōfido. Annexi præ-
terea delineationes instrumentorū,
à me inuentorum, vti quoque Epi-
stolas varias, viroꝝ doctorum,
ad me scriptas, cū eas non solum
ad propositum meum facere, ve-

rum etiam Cheirurgiæ studiosis vtilissimas esse viderem.

Vobis autem PRINCIPES ILLVSTRISSIMI ATQVE POTENTISSIMI has qualescūque meas vigilias submisso animo inscribere volui, & meritò quidem debui. Ab omni enim auro consuetudo inualuit, vt gentes, & populi, Principibus suis, quum Imperium aut Regnum aliquod obtinuissent, non solum cōgratularentur, verum etiam in testimonium animi grati, munus aliquod offerrent. Hanc autem cōsuetudinem, tam sanctè ac religiosè obseruabat antiquitas, vt (quemadmodum Fulgosius scribit) cū Artaxerxes Xerxis filius, Persarum Rex, per regnū suū obequitaret, & populi è more munera ipsi offerrent, rusticus autem quidā, transcunte Rege, habere se nihil, quod daret,

DEDICATORIA.

daret, cerneret, ad amnem proximū
 se contulerit, vbi ambabus aquā
 impletis manibus, ipsam Regi suo
 obtulerit. Ne itaq; ego erga Illust.
 Cels. vestram simul & erga patriā
 ingratus sim, Illust. Cels. V. corde
 quidem aurum & gemmas voueo,
 manu verò, quia, vt id pro dignita-
 te vestra faciā, infirma fortuna mea
 non concedit, munusculum hocce
 chartaceum, ea, qua decet, submis-
 sione offero, consecro, dedicoque.
 Accedit & alia causa, quum enim
 prima fundamēta cheirurgiæ, præ-
 cipuè in aula ILLUSTRISSIMI AC
 POTENTISSIMI PRINCIPIS DN. GVI-
 LIELMI Iuliacensium, Cluensium
 & Montensium, &c. Ducis felicissi-
 mæ memoriæ sub Clarissimis &
 doctissimis viris DN. D. IOHANNE
 & GALENO VVIERO, RENERO SO-
 LINANDRO, nec non COSMA SLO-

TANO, Medicis & cheirurgis longè
 celeberrimis, iecerim, & in Aula
 tanti Principis prima semina artis
 meæ receperim, merito & Illustr.
 Cels. vestræ, vt veris legitimisque
 successoribus atque heredibus, hic
 quatumuis immaturus, & Ill. Cels.
 vestræ indignus foetus debebatur.
 Quem tamen, vt Ill. Cels. V. Arta-
 xerxis Regis exemplo (qui aquam à
 pauperculo oblatam minimè ne-
 glexit) hilari fronte excipere, & ve-
 stra benignitate atque clementia
 fouere velitis, submisse rogo, atque
 efflagito.

Cæterum ILLUSTRISSIMI AT-
 QUE POTENTISSIMI PRINCIPES
 DEVM Opt. Max. sublatis ad cœlū
 manibus supplicibus votis precor,
 vt quemadmodum hætenus inter
 tot ærumnas, & turbas bellicas, Spi-
 ritu suo S. Ill. Cels. V. adfuit, victo-
 réisque

DEDICATORIA.

resque reddidit, sic quoque in posterum Illust. Cels. V. pacis addat ornamenta, Consiliis salutaribus instruat, virtute, prudentiâ, spiritualibus quinetiam & temporalibus donis cumulatissimè exornet, quò dulcissimam patriam pacificè gubernare, & Remp. in primis autem Ecclesiam Christi, ad Dei gloriam, vestramque simul & subditorum salutem feliciter, & in multos annos administrare possitis. Dabam 20.

Iulij Anno

1611.




GEORGIVS A LYCKE
DANVS

AD

Clarissimum virum Dn. Guilhelmum
Fabricium Hildanum.

Hic est, quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe GVILHELMVS,
Artis Pæonia sagacitate.

Cui, lector studiose, quem fauorem
Vienti dabis atque sentienti
Clari post cineres dabunt abundè.



DEO O. M. S.

Et

GVILHELMO FABRI-
CIO HILDANO
ALEXICACO

E. V.

Pestis tabifica Exuvias, tibi MAGNE trophæum
IATRIPOTENS, statuit corpore pulsa lues.
Gallia quem nequit, quem non Oenotria tellus
Sternere: FABRICII sternitur hostis ope.
Hostis amare quid agro insultas? lingue recessus
Phœbigena & dirum porrige trux iugulum.

Daniel Naborouius in sempiter-
num amicitiaë monumentum P.
SECVN;

P



SECUNDA
OBSERVATIONVM
CHIRVURGICARVM
CENTVRIAE,

Viri clarissimi

DN. GVILIELMI FABRICII
Hildani, Medici apud Paterniacenses or-
dinarij; Chirurghi vt exercita-
tissimi, ita felici-
cissimi,

LECTORI BENEVOLO S.



Ino vendibili suapte sponte,
Suspendi foris improbè co-
rymbos,
Amantissime Lector, ipse
nosti.

Num quid ergò Cherurgico huic li-
bello,
Promptuario & utili libello:

**

Quem haud auaræ manus FABRICI,
FABRICI inclyti & optimi CHERUR-
GI,

Tuis destinat vsibus, sacrâque:
Nunquid, aio, Cherurgico huic libello
Arbitraris opus suos corymbos
Suspendi foris elegantiores?

Falleris malè: quisquis hac sinistra
Insufflatus opinione turges.

Doctrinæ integer eruditioris,

Et purus dubiæ fidei libellus,

Non eget genij laboriosa

Laude, nec titulo superbioris,

Nec cantu, grauidò malè-impetratis

Verbis sesquipedalibus, dolòque,

Námque ut bella satis, sat & venusta

Prædicatur ab omnibus puella,

Quam formæ decor insitus beauit,

Nec pulchram malè finxit insitius:

Sic bonus liber ille prædicandus,

Qui non est specie, ast reapse talis.

Hem supercilium graue, hem triumphos,

Tellus

I,
B.
Tellus Itala, pone: pone tandem!
Tandem desine! Nam satis superque
Præstantes operas, Cedroque dignas,
Admirata tui hæc tunc FABRICI
Tecum (quod benè IOVA uortat) immò
Acerba Inuidia, uel annuente,
Cum quo certet, habet, si ei negatum
est,

Ist hac vincere parte te potesse.

Ad te, Lector Amice, nunc reuertor:
Atque ut hunc animo uoluptuoso
Libellum occipias, uolo: secundo
Euoluas, rogitò: appetentiore
Imbibas, iubeo. Inuare enim te
Quod possit, solidè quidem docebit.

Ceterum istud adhuc mihi monen-
dus:

Nostro ut FABRICIO, viro optimoque,
Optimo & Medico, optimo & Chirurgo,
Tot precère libens beatitates,
Quot precère tibi suauitates.
Nam quin plura subinde, gratiora,

** ij

*Mage insignia, luculentiora,
Rariora etiam, tuos in usus,
Conditurus, & editurus olim,
Neutiquam dubita, benigne Lector.*

Michael Dœring, Vratislavia-Si-
lesius, In Illustri Academia
Giessena Hassor. Medic. Pro-
fessor ordinarius.

AD





AD LECTOREM.

Qua tibi multiplici congesta labore, periti
FABRICII, sollers, LECTOR BONE, dex-
tera prabet,

Observata vides vocitari: At iudice Phœbo,
CHEIRVRGO MEDICOS THESAUVROS, di-
cere possis.

Quippe sui haud tantū profert dignissima cedro
Ingenij monumēta: virūm ast respōsa Medentū,
Miscet, quā potis est: quæ vel dictasse Galenum
Iures, vel dio fluisse è pectore Coi.

Talia non sibimet soli adseruauit, auari
Instar, vel tineis escas dedit inuidus; isto
Sed quemuis voluit lymphas depromere fonte.
Ergo qui Medicis, seruitum tendit, & agris,
Nonne ut perpetuum cantetur in orbe, meretur?
Sic puto. Sed quid ego? Medici & Meditriua,
probabunt.

Deproperabat

Andreas VVeickius Vra-
tislau. Silesius Medic. D.

** sig



IN ZOILVM.

INuide cur laceras nostri dictata Fabrici,
Quae tibi sunt vsui, commoda magna aliis?
Ipsam fastus iners, vel vana ceca cupido
Gloriola, haud duxit turpis auaritia.
Quin magis in fidos animus propensus amicos
Hoc ingens nobis arte peregit opus.
Acceptis igitur cessa, Hunc amplectere librum,
Vt tibi contingat gloria, tuta salus.

Cl. Iauninus Cudriffinensis
Auenticus, & professor
Hebraeus.

CLA.



Clarissimo viro

D. GVIL. FABRICIO
HILDANO, MEDICO ET
CHIRVRGO PRAESTANTIS-
simo ac felicissimo, alteram Ob-
seruationum Chirurgicarum
Centuriam edenti,
Salutem à D.

NATHANAEL CHAMBVTVS.



*Vos sua delectat Medicos industria
sic, vt
Corpora lethifero vulnere pressa
leuent:*

*Illorū pietas (omni laudabilis aeo.)
Poscit, vt hic viuant secula Nestorea.
FABRICI & ipse libēs optarim Nestoris annos,
Qui plerosque facis viuere semineces.
Sit tibi perpetuò mens sana in corpore sano,
Quum vexata malis corpora restituas:
Muneribusque tibi Dominus benedicat abūde,
Qui minimè celes dona recepta viros.
Altera curarum siquidem Centuria prima
Additur, & reliquas tu citò parturies.
Ergò tibi totidem soluantur carmine grates,
Quot recreas, morbo pectora lasa grani:
Scommate nec petulans vllus te vulneret unquā,*

** iiij

*Vulnera qui sanat rite, fauente DEO:
Qui solet ampla BONVS fideis dare premia ser-
uis:*

*Sape homines quum sint muneris immemores.
Tu pro more igitur fratrum succurre saluti,
Et tibi succurret prouidus Omnipotens.*

Cui gloria, laus & honor.



la

B

H

A

H



In eandem secundam
Centuriam.

Hoc Opus OBSERVATORVM, *Physicæ*
manuæ,

Seu qui persanant corpus utroque modo,

Auguror observaturos, dum sydera & orbis,

Artis Apollineæ dùmque manebit honos.


Hæc sunt OBSERVATA, quibus (me iudice)

scripta,

Haud quisquam Medicis utiliora dabit.

SEBAST. MEYERVS, Med.
Freiburg. Auentic.





In Clarissimi & humanissimi
viri, Domini

**GVILHELMI FABRICII
HILDANI, MEDICI ET
CHEIRVRGII EXPE-
rientissimi**

*Observationes Chirurgicas
Epigramma.*



I celebrent Musæ Medicum, si sacra
la casca
Cheirurgo celebri digna trophaea
struant;
Mœnia si Medici fidi quoque gen-
mea, pennâ
Cheirurgi & clari præpetere fama

petat,

Aurum si rutilum fiat Medico arte colossus;
Si Medici cedrus nomina clara refert,
Tunc meritò cantet, FABRICI, clare Machaon
Cum Musis Phœbus nomina magna tua,
Stelligeras ædes penetret tua fama, Machaon
FABRICI, superet sydera clara poli,
Aurum suscipiat nomen, super æthera fama,
FABRICI, volitet morte perenne carens,
Proferat & cedrus fructu pro, nomina famæ,
FABRICI, Iatrices fulgida stella Deæ,
Te duce sub cœli tollit tabulata nitentis
Nunc pennas Phœbi filia sancta suas,
Te duce nunc relinquunt pectus mille agmina morbi,
FABRICI, curas corpora qui manibus,
Qui herbarum vires nosti, qui mollibus herbis;
Aegris restituis robora prisca tuis.

Te

Terregit ac Hebe, mentesque docent Hygienes,
Dirigit & dextram summus Apollo tuam,
Quis nescit tibi quod data sit dexterrima dextra,
Dum ignibus aut ferro morbida membra leuas,
Terrigenum cœlum soluant si vulnere cæca,
Pondera si lædant Terrigenumque polum,
Terrigenum folles peccent si, semina pestis
Terrigenum Phœbum turbida si feriant,
Si peccent partes, almæ quas Virginis astrum
(Vlla fides doctis si data) luce regit,
Si easus soluant artus, si marmora, carnem
Quæ gestant, hiscant, arte iuuare soles,
Hinc tollis sphacelum, sphacelus si brachia tentet,
Et vexet tristis viscera si sphacelus,
Si Venus exedit fauces, si saxa palati,
FABRICI, curant arte metalla tuâ;
Si premat & matris ventrem puer, ossa relaxas,
Haut credunt, miror, sed tamen arte doces,
Si tardet partus irâ commota Diana,
Acceleras herbis, vnguibus acceleras,
Acceleras partum gryphio pede, pollice fœtum
E tenebris matris dum trahis, arte beas.
Non numerare queo, præstas quæ magne Machaon
FABRICI curis, grammasin vtilibus,
Hephæstum, memini, viderunt corde stupentem,
Condere dum mandas organa pulcra tibi,
Quæ species, fatus, chalybis? qualis noua forma?
Olim pulcra viris organa condideram,
Sed tua, FABRICI, superant nunc mentis acumen,
Nunc mea præque tuis organa spreta iacent.
Pergito FABRICI, scriptis epidauria rura
Illustrare tuis, te duce rura virent,
Pellere FABRICI, pergas quoque corde dolores,
Ignibus & ferro, si herbula deficiat,
Virtus hinc addet Famæ, mihi credito, pennas,
Victurâ cedro dignus vbiq̃e clues,
Terminus hinc Solis laudum tibi terminus ortus,
Exoritur laudis terminus ipse polus,
Impete FABRICI, nomen vireat quoque fama,

Dum tepeat Ganges, frigeat Ister aquis;
Atræ dumque manus placant Iouis inclyta templa,
Dum precibus placat Christicolûmque cohors.

Observantis & amanti animi
signum L. M. Q. S.


IOANNES HENRICVS
Frælich, Basileens.



Idem in eiusdem Effigiem.

DExtra tuam clarè faciem pingit Gv-
LIELME,
Ast animi dotes pingere nulla potest,
Exprimit & faciem, FABRICI, parua tabella,
Prodere sed pectus qua poterunt tabula?

AD



AD PRÆSTANTISSIMUM
virum D. GVILIELMVM FABRICIVM
HILD. peritissimum Chirurgo-
Medicum.

VT varij incumbunt morbi mortalibus agris,
Curritur ad Medicos, morbi spes una le-
uandi.

Si vos ergò doloꝛ, vexent, aut saucia membra,
FABRICIVS portum vobis verum ipse paravit
Non minor in terris Chirurgus Apolline, cuius
Extat opus rursum multis insigne medelis:
Altera nimirum prodit Centuria, nuper
Promissa in lucem, qua ceu de morte redemptos
Ereptosque neci lethali ex vulnere disces.
Utque manus foless industrius arte magistra
Incisum referet vulnus, nocitura scienter
Eriat obduclum, & medicamine temperet apto,
Virus ut expellat nec noxia toxica reddat
Sævit ubi humanis, pariter vis ignea venis,
Frigus & eiuclans miseros adduxerit artus,
Æstum compefcit, docta fugat arte dolorem.
Quid moror? artificem perfectum opus arguit, il-
lum
Suspicient, eiusque legent monumenta nepotes.

IACOBY, IOH. MERYLAE
Filius.



SUR L'EFFIGIE DE
MONSIEUR GUILLEAUME
FABRY.


Lecteur, veux-tu sçavoir, de qui est l'Effigie,
Que preste tu voids, ce venerable port,
Ce front haut releué, ou l'honneur a pris port,
Et qui d'une des mains sur un Crane s'appuye:

C'est de ce grand FABRY (ie le te veux biẽ dire)
Le pourtrait naturel, Flamand de Nation,
De giste Payernois, un second Machaos.
Un autre Praxagore, un autre Podalyre.

Mais cognoistre veux-tu sa science profonde,
Et de son rare Esprit le parfaict ornement,
Voy le vis, oy sa voix, ou attentiuement
Ly ses doctes Escrits, qui volent par le monde.

TON FEV A VIE.

Ican Feuuot.



SONNET.

S Ille los & l'honneur en la memoire antique
D'Apollon, d'Esculape est encor parmi
nous,
Et s'ils donnent aux Grecs le laurier par sus
tous,
Pour auoir inuēté le bel art CHIRVRGIQUE.
Le croy, qu'il n'est pasmoindre à la Gaule Belgique
Qui nous dōne FABRI pour soulas à nos corps,
Et qui portant la Palme exhibe vn fruit
tresdoux,
Par angonnant encor de nouueau la Pratique.
Heureux qui te cognoist, & plus heureux encor
Qui te peut frequenter pour voir en ton tresor
Les dons, que l'Eternel prepare à ton boirie.
Trop foible à tō merite est l'hōneur de ces lieux:
Mais il te louē assez qui tient que dans les
cieux
Ton nom est engraué, cōme en la CENTVRIE.

Dauid le Clerc L.

Anno Ætatis 47.
1611



IN ORNATISS. VIRI GVILHELMI
Fabricij Hildani Chirurgica medicâque arte
nobiliss. Hexast. Caroli Vrenhouii.

*Hac est Chirurghi pariter Medicus VVIL HELMI
Vulnera qui sanat corporis, effigies
FABRICII, manibus non tantum, at melle suavis
Alloquij ex lingua vulnera Cordis ope.
Quis neget ergo illum Medicum pariterq; Chirurgum
Verba etenim agrotæ sunt Panacea anima.*



G V I L H E L M I

F A B R I C I I H I L -

D A N I,

Observationum & curationum chi-
rurgicarum

CENTVRIA SECVNDA.

*Epistolis nonnullis virorum praestantissimorum, nec non
instrumentis, ab auctore inuentis, illustrata.*

O B S E R V A T I O I.

De effigie oculi humani, artificiose omnes eius
partes exprimente.

*Magnifici, strenui, antiquiss. Equest. prosapia herou, DOMINI
HENRICI ALTCKE Toparcha in Oueygaardt,
sereniss. Regis Dania à Consil. Castri Orneburgici
&c. praesidis filijs,*

D. D. GEORGIO. & FRANCISCO à LY-
cke fratribus Danis,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

VERRISSIMA est diuina illa sen-
tentia Apostoli ad Romanos
Cap. primo, viri Generosi, ni-
mirum inuisibilia Dei opera,
ex rebus creatis perspici posse,
omnibusque innotescere. Quamquam autem
vix plantula reperiatur, in qua summa illa Di-
tina maiestas, ac sapientia non appareat, in ho-
mine tamen omnia ita excellunt, vt non im-

A

Psalm. 8. merito Regius Psalmista ipsum Deo probè æqualem, gloriâ & decore ornatum esse, exclamet. Hinc factum est, vt inter antiquos alij, hominem naturæ, aut potius creatoris miraculū, alij Epitomen mundi, naturæque delictum appellarint. Summa autem illa maiestas, & sapiētia creatoris in dissectionibus Anatomicis apparet: ex illa enim artificiosam, ne dicam miraculosam organorum connexionem, fabricā, nec non functiones, atque officia partium corporis ediscimus. Hanc ob causam multi magnates apud antiquos, non solum ad oblectationem, verum etiam ad sanitatem conseruandam, amissamque recuperandam, huic scientiæ addictos fuisse, & priuatim sese in dissectionibus corporum exercuisse, Galenus de administrationibus Anatomicis refert. Non possum itaque vos viri Generosi laudibus satis extollere, qui, vti generis & familiæ antiquitate magni, ac nobilissimi estis, hoc quoque studio antiquo, magno, & nobilissimo oblectamini: & superiori hyeme, non solum celeberrimum illud theatrum Anatomicum Basiliense, vestrâ presentia illustrare dignati estis, verum etiam à Clarissimo viro, & huius seculi lumine longè celeberrimo Dom. D. CASPARO BAVHINO, priuatim edoceri voluistis, ita etiā vt meritò V. G. Institutiones suas Anatomicas, non ita pridem editas, inscripserit.

Cæterum in dissectionibus Anatomicis vix aliquid admirabilius, aut artificiosius structurâ oculi humani meo quidem iudicio occurrit: vt meritò per excellentiam, creatoris appelletur

pelletur miraculum. Hinc factum est, vt anatomici per omne æuum, in demonstranda ad oculum, oculi anatome occupati fuerint. Obstacula experti sunt, atque etiamnum experiuntur varia: quo fit vt quod sollicitè & sedulo persequuntur, difficilè assequantur. Membranæ enim tres posteriores, vix cernuntur: adde quod in dissectionibus paucis spectatoribus ea loci opportunitas prope cadauer contingit, qua mirabiles oculi partes peruidere, easque distinctè notare queant. Sæpe igitur apud me cogitavi, quomodo tãdem oculi fabrica in musæo, mensa, colloquiis familiaribus, vel æstiuo etiã tempore, citra cadaueris vsu monstrari possit. Et quia prædicto studio non mediocriter oblector, meo equidem Marte talem aggressus sum concinnare effigiem, quæ pridem Clarissimo, & longè excellentissimo viro D. D. CASPARO BAVHINO Anatomico, & Botanico insigni, Domino & amico meo in perpetuum obseruando, aliisque viris doctis perplacuit. Et quia G. V. huic studio, vt antea dixi, oblectari sciam, nec fabricam hanc ingratham sibi fore confidam, iure amicitia, quam, dum mecum vixistis, & præsentia vestrae generositatis familiam meam illustrauistis, amplissimisque honoribus decorastis, contraximus, exiguum hocce munusculum ad V. G. mittere non sum veritus. quod vt hilari fronte excipere dignemini, obnixè rogo.

In huius autem structuræ ordine, quantum fieri potuit, naturam imitatus sum, quo ad situm, formam ac magnitudinem. Primo mu-

sculos sex expressi, eosque ut ad naturalem formam magis accederent, ex corio rubro fabricavi: ex quibus quatuor recti, duo obliqui. Nerveum præterea motorium per omnes musculos dispersum, eumque unà cum extremitatibus musculorum, in membranam (COLUMBO innominatam dictam) desinentem videbitis. Pinguedinem, quæ musculos, & nerveum opticum ambit, omisi, uti quoque humorem aqueum. Hæc enim quomodo vere effingi possint, nondum video. Membranas omnes inter se ita complico, ut rotundum corpus oculi cum suo nerveo optico, exhibeant, & quidem ut singulæ diuelli, diuulsæ monstrari, tum denuò complicari possint. Crystallinus autem humor residet, in crassa illa portiuncula, per quam represento vitreum. Breuiter quantum mentis oculus & corporis videre potuerunt, studui verum effingere ac fabricari oculum, ut me & amicos aliquando recrearem, creatorisque mei sapientiam, apud huius artis ignaros illustrarem, atque mirabilem redderem. Vobis vero V.G. structura hæc non solum iucunda, verum etiam utilis, & ad studium vestrum Anatomicum & Chirurgicum, veramque affectuum oculorum cognitionem non parum faciet. Macte itaque V.G. ingenio, & in studiis pergitote. Habetis Musarum vestrarum auspiciem prouidum Dom. D. TOXOTIVM virum pietate, & doctrinâ ornatissimum, in primis Philosophiæ, Medicinæ, variarumque rerum scientissimum, qui ut V.G. non minus quam Aristoteles suum Alexandrum ad summum scientiarum gradum perducere

cere

cere possit, omnes intendit nervos. Ego DEVM
 ter Opt. Max. suppliciter oro, vt V. G. spiritu
 suo sancto magis magisque illustrare, studiis
 vestris benedicere, corpore quin etiam inco-
 lumes conseruare velit, quo inceptam vestrã
 peregrinationem, per Galliam, Angliam, alias-
 que regiones feliciter absoluerè, patriæ orna-
 mento, parentibus verò solatio tandem esse
 possitis. Ex Museolo meo Machaonico 29. Au-
 gust. Anno Christi 1609.

GEORGIVS ET FRANCISCVS

A LYCKE F.

*Clarissimo viro Dom. GVIL. FABRICIO HIL-
 DANO Medico & Chirurgo celeberrimo
 Amico colendo. S.P.D.*

EXhibitæ sunt nobis Fabrici clarissime, a-
 mice multum colende, literæ tuæ, cum o-
 culi structura, affabrè admodum eiusdem or-
 gana expriment e. Gratæ equidem illæ, gratior
 hæc, cum adiunctis numismatis antiquis, ani-
 mus denique in nos propensus gratissimus,
 quem factum tectum erga nos in posterum vt
 foueas, rogamus, sedulam daturum operam, vt
 eundem per non interrupta temporum inter-
 ualla, memoria recolamus sempiterna. Remit-
 timus autem T.H. per nostrum, seu maui tuū
 Eberhardum Xeniola pro modulo nostro, spe-
 rantes quo animo à nobis proficiscuntur, ea-
 dem à T.H. pro re nata exceptum iri. Quod
 reliquum est T.Hum. cum COLINÆTIA tua
 pia ac honestissima, totaque familia præpoten-

A iij

tis Dei tutelæ committimus. Vale Clarissime
 Fabrici Chirurgicæ disciplinæ columen, no-
 strumque decus haud postremum. Dabantur
 Genevæ ipsis Calend. Septemb. Anno 1609.



OBSERVATIO II.

*De globulo plumbeo, menses sex nullo sympto-
 mate superueniente, in cerebro contento.*

A D

*Reuerendum ac Clarissimum virum D. DOCT.
 ANTONIVM FAYVM SS. Theologiae apud
 Geneuenses Professore celeberr. nec non
 Philosophicarum ac Medicarum
 rerum, scrutatorem diligen-
 tissimum.*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

Globulum plumbeum, vir Reuerendissi-
 me atque æternum mihi obseruandissi-
 me, in vacuo ventris, aut inter musculos, ad
 multos annos interdum delitescere posse, ex-
 periëntia ipsa testatur. In Cerebro verò id fieri,
 nusquam visum esse arbitror. Attamen retulit
 mihi IOANNES GRIFFONIVS, apud vos o-
 lim Chirurgus celeberrimus, casum tam admi-
 ratione, quàm annotatione dignissimum. Ni-
 mirum tempore belli inter Ducem Sabaudia
 & Geneuenses in expugnatione castris, la Cluse
 dicti, quendam ex Geneuensibus CLERGET
 nomine, ictum sclopeti in fronte cum insigni
 fra-

fractura cranij accepisse. Ægro semimortuo Geneuam adducto, se methodicam instituisse curandi rationem, & symptomatis grauissimis, quantum quidem fieri potuit, prospexisse: ossa quinetiam non pauca extraxisse, globulum tamen nullum se offendisse, affirmavit. Nihilominus verò miserū hūcce fauore diuino, summaque adhibita curâ atque diligentia, pristinae sanitati restitutum fuisse, & semestre post curationem, incolumem vixisse. Cùm verò morbo acuto tandem obiisset, cranium eius aperuit, & globulum è regione verticis, inter cranium & duram matrem, ad latus suturæ rectæ inuenit, membranâ tamen planè à globulo illa sã. Natura enim, vt ille diligenter annotauit, ea in parte materiam quandam callosam procreauerat, quæ duræ matri ad instar culcitrae subiacebat. Huius admirandæ curationis, quum tuam Reuerentiam ocularem testem esse sciã, obnixè rogatam velim, vt si quid omiserim, illud adiicere non grauetur. Sic enim me, & artis huius studiosos sibi obstringet. Vale vir Reuerende, & me, meosque, pro innata tua humanitate, amare perge. 24. Februarij anno 1606.

ANTONIVS FAYVS

Guil. Fabricio Hildano Chirurgo præstantissimo S.P.D.

Miraris, & simul increpas, quòd ad tuas non responderim, meritò sanè. Debui enim id fecisse. Sed si intellexeris, me à scribendo fuisse reuocatum, non obliuione tui, sed ne-


gotiorum turbâ, silentium meum in bonam partem interpretabere. De Clergeto, quod scripsi, sæpè me cum ipso locutum affirmo, ex quo sanatus est ex vulnere illi inflictò in capite, glande plumbea in ipso cerebro ad multos menses retenta. Postquam autem in excursionem alia sauciatus, vitam cum morte commutasset, & à Chirurgo extraordinarij casus illius investigaretur causa, audiui, glandem illam in ipso cerebro repertam fuisse, sed hoc ego non vidi. Quod autem alteri militi contigit, quòdque ego non oculis tantum, sed manu approbatum, nō dubito asserere, tale est. In bregmate vulnus inflictum erat altissimum: adeò ut non tantum cranium, sed utraque meninx fuerit incisa cum ipsa cerebri substantia. Curavit illum Guilielmus Constantinus noster. Tum autem carmine rem illam signare libuit, quod sic apponere visum est.

*Non audita loquor tantum, mi credite, vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat Iuuenis, medio cui vulnus adactum
Est capiti, cerebri parsque recisa fuit.
Ille tamen vivit. Si credas arte Melampi
Hoc factum, peccas, hic medicina silet.
Monstra sed in morbis Arabum flos ille Sophorum
Quod fieri dixit, re patet apse palam.*

Scis me in alia nunc versari Palæstra, quàm sit Pergamæa. Itaque ne mirere, me hæc paucis ad te. Persuade tamen te à me non leuiter amari. Id enim pietas insignis, eximia Chirurgiæ Theoreticæ & Practicæ cognitio, quæ in te est,

*Supra
Cant. 1.
p. 72.*

est, meretur. Tu vicissim me amare perge. Vale vir præstantissime. Dominum Merulam mihi saluta. Genueæ. Postridie Non. Mart. Anno 1607.



OBSERVATIO III.

*De cranij introcessione aut depressione: quam
grauissima symptomata sequuta,
Exempla aliquot.*

Supra f. 55.

EXEMPLVM I.

ANno 1577. Quadragenarius quidam Nouisiæ in Episcopatu Coloniensi, globo ferreo, qui vltra libram vnam cum semisse pēdebat, in sinistram bregma percussus, cum insigni cranij depressione & fractura, in terram quasi mortuus procidit, & loquelam, visum, auditumque planè amisit, quin etiam ex opposita parte, paralyti correptus fuit. Post dies aliquot cranio eleuato, & in naturalem situm reducto, loquelam recuperavit, symptomata quoq; reliqua paulatim remiserunt, tandemque pristinæ sanitati restitutus fuit.

EXEMPLVM II.

Eodem ferè tempore in agro Nouisiensi, in Earce Seillikum dicta, Iuuenis quidam quatuordecim annorum ætatis, ab equo in verticem cum exigua cranij impressione percussus fuit: sed quum ab initio vix vllum symptoma apparuerit, vulnúsque exiguum fuerit, morbum neglexerunt. Post dies aliquot ægro grauissi-

mis symptomatis correpto, Mag. IOHAN. DVMGENS. (apud quem tùm temporis Chirurgiam exercebam) in consilium vocauerunt, Tùm ipsum febricitantem deprehendimus, cum dolore capitis, vigilijs & inquietudinib. vulnere inflammato, sinuoso, & puris pleno, cranioverò depresso. Auctâ paulatim febre, delirio, & paralyfi vnius lateris obortâ, tandem extinctus est.

E X E M P L V M III.

ANno 1601. Lustriaci in agro Lausannensi puerum curandum habui, cui ex depresso cranio grauissima symptomata superuenerât. Eleuato cranio, aut potiùs exemptis fragmentis cranij fracti, symptomata remiserunt, egréque conualuit, vt fusiùs declarauimus Observat. 15. Centur. 1.

E X E M P L V M IIII.

ANno 1606. Mense Septembri, ad sexagenarium quendam haud procul Paterniaco, vocatus fui, cui os frontis sinistri lateris ea in parte, vbi capilli prodire incipiunt, latus sinistrum versus, ex ictu lapidis, profundius impressum erat. In ipso momento ictus, in terram prociderat, euomuerat, simul & loquelam, intellectum, visum ac auditum amiserat, totoque latere opposito paralyfi correptus fuerat. Ego octiduo post casum vocatus, & vulnere, quod paruum satis erat, inspecto, adstantes admonui, operæ pretium esse, vt vulnus dilatetur, & cranium eleuetur : sperabam enim ægrum hoc modo conualescere posse. Quandoquidem pro morbi

morbi

morbi magnitudine robustus adhuc satis erat, iuscula item, & quæcunque offeriebantur, assu- mebat. Verùm cum parentes & adstārium tur- ba consilium meū recusassent, discessi, nec ma- nū ampliùs adhibere volui. Itaque paucos post dies naturæ satisfecit, qui tamen diuino auxi- lio seruari potuerat, dummodò remedia ido- nea adhibita fuissent.


A D M O N I T I O.

EX ijs, quas hæctenus recensuimus, historiis, satis apparet, primò, quàm necessarium sit cranium impressum, in naturalem situm repo- nere. Secundò, quàm periculosa sit opinio Chi- rurgi cuiusdam, qui in libro suo Chirurgico Germanico idiomate conscripto, docet, circa impressum cranij non multum laborandum, sed totum opus naturæ committendū, parūm- que referre, an impressio remaneat. Id enim motum cerebri propter vacuum ac distantia, quæ est inter menyngem & cranium, minimè impedire. Sed bonum huncce Chirurgum, tum in hoc, tum in aliis locis longè sua fallit opi- nio. Sciunt enim, mediocriter in Anatomicis versati, vacuum illud, aut medium, inter me- nynges & cranium, adeò exiguum esse, vt à mi- nima quaque depressione cranij, motus cerebri impediatur, & præcipuè si impressio versùs su- turas, quibus dura menynx annectitur, occur- rat. Aliquando quoque duram menyngem cra- nio vndique adhærere vidimus, vti Obseruat. 7. Cent. I. annotauimus. Hæc in gratiam tyro- num monere visum fuit.

Chirurgi
cuiusdam
falsa opi-
nio de im-
pressione
Cranij.
Infra centur.
3. ob. XI. f. 95.

cc

cc



OBSERVATIO IV.

De elevatione Cranij, in adultioribus præcipuè.

DEcessio siue introcessio cranij, quæ Hippocrati lib. de vulneribus capitis, tertia est species fracturarum Caluariæ, gravissimus est affectus, ut in præcedente observatione videre licet. Cerebrum enim ab impresso osse compressum impedit, quò minùs spiritus animales elaborari, atque hinc indè distribui possint. Nisi igitur protinùs malo huic occurratur, & depressum cranium releuetur, inque suâ sedem naturalem reponatur, spes in angusto posita est.

Primò itaque cranium cute musculosa, & pericranio denudandum est, ut pars illa cranij fracta, ac de pressa, in cõspectum veniat. Deinde diligenter explorare licet, quam in parte cranium præcipuè sit depressum: ea enim in parte torcular elevatoriij nostri ad hanc rem aptissimi, A notatum, à reliquis suis ad se pertinentibus instrumentis liberum, infigendum est.

Figura


Figura autem Eleuatorij hac est.



Porro non in medio ossis impressi, vt plerique Chirurgorum facere consueuere (nisi forsan vndique æquabiliter impressum fuerit os) sed ad latus, & quidem ea in parte, vbi præcipuè, vti diximus, impressum, torcular eleuatorij, infigendum est. Sed quia torcular, quamuis acutissimū sit, difficulter, & non nisi adhibitâ vi, cranio infigi potest, ac interim summo perè timendum, ne cranium iam depressum, profundiùs deprimatur. Craniū priùs vsque ad secundam tabulam perforandum erit terebello acuto, cuius acies triangularis sit, & acuta, quemadmodum figura sequens indicat.


as

N



Leuiter autem, lenitèrque terebellum circumducendum, & deprimendum est, ne pars cranij fracti, profundius deprimatur. Foramen autem hoc, vt cum torculari habeat proportionem, vtque illud excipere possit, necesse est. Facto foramine, clementer infigendum est torcular, à reliquis vti dixi, ad ipsum pertinentibus partibus liberum, atque tandiu circumducendum,

dum, donec satis firmiter infixum fuerit: secundum tabulatum tamen perforari non debet, ne inde fragmenta acutissima cranij, quæ postea meninges grauiter læderent, afficiantur. Infixo torculari, vectis eleuatorij E. signatus, traducendus per foramen torcularis B. notatū, suffulerū verò C. signatum, capiti imponendū est, loco aptiori. Ne autem caput ab ipso lædatur, latum parūmque excauatum, ac linteum aliquoties reduplicatum, substratum habere debet, suffulcrum autem hoc, mediante torculari D. notato, tantūm eleuatur aut deprimitur vectis eleuatorij, quantū Chirurgus necessum videbitur. Omnibus sic ordine peractis, paulatim in altum eleuandus est vectis, E. notatus, donec cranium simul sit eleuatum, & in situm naturalem repositum, vt sequens indicat figura.





Aliquando quoque accidit, vt pars aliqua
 cranij adeò sit fracta, vt ossa nonnulla absque
 labore digitis aut forcipe eximi possint, indè
 rima satis hians, tùmque non opus est perfora-
 tione cranij, pro infigendo
 torculari, sed sequenti imposi-
 to hamulo, & per ipsum traie-
 cto vecti E notato, cranium de-
 pressum facilè in altum eleua-
 bitur.



Sic.

Sin rima non satis
hians fuerit, vt per il-
lam cerebrum satis se-
se euacuare possit, ser-
râ hac, portio aliqua
ossis excidenda est.



Aut, quod mihi magis probatur, perforetur
craniū in medio ossis, quod antea depressum
fuerat, nimirum ea in parte, vbi in præcedenti

B

figura* notatum est. Hinc tria sequentur com-
moda, non spernenda. Primò enim, si os iam
anteà impressum ac denudatum perforemus,
nouâ incisione cutis, & abstractione pericranij,
osse iam denudato, opus non erit, atque hoc
modo nouus dolor, & hæmorrhagia euitabi-
tur. Secundò si apertio & perforatio cranij hoc
in loco fiat, ea in parte fiet, in qua præcipuum
est malum, punctio atque contusio meningis,
sicque humores, qui ad locum affectû affluent,
longè facilius euacuentur, quàm si perforatio
esset ad latus. Tertiò, si perforatio hæc ea in
parte cranij, quæ anteà depressa fuerat, fit, faci-
lius apertum retinebis vulnus, donec cerebrû
satis expurgatum sit, quàm si aliquo alio in lo-
co cranium perforaueris. In hac autem opera-
tione hæc præcipuè difficultas occurrit, nimi-
rùm, quòd pars cranij fracta, & in situm natu-
ralem reposita, denuò deprimatur, retrudatúr-
que cerebrum versùs. Sed vt & istud incom-
modum euitemus, clauum hunc foramini, in
quo anteà torcular in Elevatorij adumbratione
A notati, infixum fuerat, infiges, tam que diù,
donec satis infixus fuerit, circumuolues.




Est

Est autem extremitas huius clavi, circularis instar adaptatus, & tribus aut quatuor in locis perforatus, quò stylum ferreum, ossi integro incumbentem, excipere possit.



Stylus ille eius tantummodò sit lōgitudinis, quò extremitates eius *. *. notate, ossi sano incumbere possint. Itaque, vt tibi in promptu sit lima, quâ stylum eius longitudinis, quâ conuenit, abscindere possis, necesse est. Quòd si extremitates huius styli cranio non satis incumbant, linteamina reduplicata aut simile quid, eis substernatur. Postea cranium ad latus huius clavi, & quidē in medio ossis depressi, vbi * notatum ad duram matrem audacter perfora. Si verò rīna talis fuerit in cranio, vt cerebrum indè se euacuarē possit, non opus est perforatione cranij, neque forsā eleuatorio nostro ægrum vexare, sed sufficiet communi hoc, & simplicissimo eleuatorio cranium in altum eleuare.



OBSERVATIO V.

Puerorum depressum cranium, quomodo eleuandum.

Puerorum Calvarias ex casu deprimi posse, nullis superuenientibus symptomatis, (nisi

(nisi forsã in ipso casu vomitus cibi indigesti.) aliquoties obseruauit. Cùm enim eorum cranium adhuc molle ac tenerum sit, facilè absque fractura deprimatur atque introcedit, quẽ admodum argenteis & stanneis vasis ex solidorum corporũ collisione accidere videmus. Hinc fit, quum dura mater, membrana alioquin exquisitissimo sensu prædita, à fragmentis non pungatur, ne sæuiora symptomata sequantur. Interim tamen huiusmodi impressiones Cranij, etsi in principio non adeò magni momenti esse videantur, grauiorãq; symptomata non inferant, spernendas tamen minimè esse, omnes in arte versati intelligunt: Huiusmodi enim impressiones cerebri motum impediunt, & quò minùs spiritus in cerebro elaborari possint, obstant. Hinc ingenium stupidum oboritur, caputque catarrhis obnoxium redditur.

Porro in pueris sæpissimè huiusmodi depre- *Primus*
siones Cranij, abrasis crinibus, & appositã cu- *modus*
curbitã, naribusque & ore clausis, quemadmo- *uationis*
dum AMBROSIVS PARÆVS Chirurgus æ- *cranij.*
ternã laude dignissimus, rectè docuit, in natu-
ralem situm reposui.

Vel instrumentum sequens corneum & cauũ *Secundus*
loco impresso admoueatur, quod ex superiori *modus.*
sua parte à viro quodam robusto, interim
dum os, & nares infantis clauduntur, fuga-
tur.



*Tertius
modus.*

*quid si Tacama
haba usurpa
retur?*

*Emplas-
tum.*

Aut Emplastrum aliquod tenaciter adhaerescens, veluti ex pice, resina, colophonia, & gummi Elemi, in medio ossis depressi applicetur, Vel quod tenacius adhæret.

℞. Farinæ tritici ℥j.

Ichthyocollæ dissolutæ in aqua

Betonicæ & saluiæ ʒ.ʒ.

Pulu. masticis,

Thuris

Farinæ volatilis

Sanguinis drac. gypsi an. j.ʒ.

Misce, coquantur in aqua betonicæ & saluiæ, ad iustam consistentiam. applicetur calidè.

Q Vamprimùm vndique agglutinatum & exiccatum fuerit emplastrū hoc, vi auferatur, sic enim attractâ cute & pericranio, cranium depressum simul eleuabitur. Id si pri-

ma

mâ vicé minùs successerit, ab opere tamen minimè defistendum, sed denuò nouum Emplastrum applicandum, & vt antea, vi auferendum. Vt autem eò tenaciùs adhærere possit, capilli non omninò sunt abradendi. Hinc si dolor aliquis oritur, locus inungendus est oleo rosaceo, aut myrthino, & de vitellis ouorum. Emplastrum autem hoc rotundum, aut eius figuræ, cuius est depressio cranij, esse conuenit: Neque eius sit magnitudinis, vt totam impressionem cranij, sed tantummodò tertiam circiter partem, cooperiat. Sic enim in ablatione minor erit dolor, & faciliùs impressum craniũ eleuabitur. Habeat prætereà Emplastrum hoc in medio funiculum, quo à Chirurgo apprehendi possit, vt sequens denotat figura.



A. A. A. Circumferentiam depressionis siue introcessionis cranij, exhibet.
 B. Emplastrum in medio huius depressionis appositum, demonstrat.

B. iiij

C. Funiculus est.

Interim autem, dùm Chirurgus Emplastrum aufert, os & nares infantis, vt antea quoque monuimus, claudendæ sunt. Sic inflato cerebro propter retentionem in ipso spirituũ, cranium impressum facilius in situm naturalem releuabitur.


Verùm si his remediis, & manuali operatione cranium non releuetur, decussatim cutis incidenda, & denudato cranio, à pericranio, sequenti eleuatorio, aut meo, quod antea depinxi, cranium releuandum est. Vulnus deinde relictum, aliorum capitis vulnerum more, curari debet.



Hic

Hic monitos velim Chirurgoſ, ne in perforatione cranij, diploidem, ſi fieri poteſt, tranſgrediantur: ſecundi enim tabulati, quod non adeò craſſum, ſed valdè friabile, perforatio, aſperitatem in cranio relinquit, quæ poſtea cerebrum pungendo, dolorem, aliâque ſymptomata, excitat.

Adn
tio.




OBSERVATIO VI.

*Ex perforatione Cranij neglecta,
mors ſequuta.*

Nobilis quidam ex familia **EVVIGIORVM** W
 Vvaldenæ propè Hildenam, in conflictu quodam in bregma percuffus, in terram proſtratus fuit, & cibum indigeſtum euomit. Curatio ſtatim duobus Barbitonſoribus commiſſa. Ego quartâ die poſt, vnâ cum clariff. viro **D. IOHAN. SLOTANO** apud Colonienſes doctore Medico celeberrimo vocatus, egrum febricitantem cum cranij fractura, offendimus. Vulnus verò contuſum & paruum erat: aderât quoque vigiliæ, inquietudines, dolores, & capitis grauitas. Ex quibus nobis facile colligere licuit, pūs cranio ſubefſe. Quapropter ſuaſimus vt dilatato vulnere, terebello, ſiue vt vocant trepano, craniū perforetur, idque niſi maturè fieret, ægrum in maximo vitæ discrimine verſari, prædiximus. Barbitonſores contrà mira ſe præſtituros, gloriabantur, & perforationem cranij, tanquàm remedium eis incogitum &

crudelis, arroganter respuerunt, & apud adstantem turbam suspectum & odiosum reddiderunt. Nos itaque cum eiusmodi collegas nobis adiunctos habere, nec honestum, nec ægro utile esse videremus, febrim item de hora in horam ingrauescere, cumque barbitonsores, universalia ut adhiberentur, concedere nollent, altera die discessimus, & manum deinceps ad movere recusavimus, ne propter ignorantiam barbitonsorum nostra simul fama atque æstimatio periclitaretur. Post nostri abitum, & quidem ante undecimam diem morbi, aucta febris & deliriis, tandem loquelam quoque eger amisit, & ex opposita vulneris parte paralyti correptus, ante decimam quartam diem, finem vitæ suæ imposuit.

*Uromas Ul.
man tali
P. expiabat*



OBSERVATIO VII.


*Sutura cranij ex vehementissimo dolore
capitis disjuncta.*

*Der Kopf
offen*

THEODORVS auff den Houle Hildene, annum ætatis quadragesimum circiter agens, robustissimo corporis habitu, & qui vix unquam morbo detentus, incidit in febrim continuam circa dies caniculares, anno 1592. In principio morbo neglecto, symptomata adeo ingrauescebant, præcipue verò dolor, vigilia & phrenesis, ut à tertio die, ad octauum & nonum usque, nullum somnum capessere potuerit. Id autem nobis notatu dignum in ipso obseruare

re

re licuit, nimirum quòd circa sextum & septimum diem futura sagittalis & coronalis, adeò à se inuicem disiuncta deprehendebatur, vt adstantes non modò tactu, verùm etiam systole & diastole cerebri, futuris digito imposito, eodem prorsus modo, vt in pueris, antequàm eorum cranium penitus obduruerit, facile percipere possent. Septimo verò die superuenit sudor criticus, adeò copiosus, vt contortâ subuculâ, aqua vbertim extillaret. Huius sudoris beneficio restitutus & liberatus fuit, suturæ quoque paulò post sensim coaluerunt, adeò vt ad hunc vsque annum 1608. benè valeat. Eiusdem rei quoque Lector in prima Centuria obseru. i. exemplum habet.



OBSERVATIO VIII.

Quidam inueteratâ Cephalæâ laborans, accepto vulnere lethali ad coniunctionem futurarum Coronalis & Sagittalis, à morbo inueterato liberatus fuit, vbi simul de perforatione futurarum, & vulneribus temporum, agitur.

A D

Clarissimum & doctissimum virum, D. FRIDERICVM VVERDENBERGIUM Basileensem, Doctorem Medicum celeberrimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

CLarum tuæ in me beneuolentiæ signum Cedidisti, Vir clarissime, & amice pluri-

mum honorande, qui non solum tam amice ad me scripsisti, verum etiam Enchiridion Medicum TRINCAVELLI dono misisti: quod vtiq; eo maiori cum voluptate perlegam, quia laboribus lucubrationibusque tuis illustratum atque ornatum sciam. Pro munere hoc, & pensam in me tua voluntate, nunc quidem animo, & verbis gratias ago, & habeo maximas, oblatam occasione, reipsam illud promereri studebo.

Cæterum Quæstionem illam, quam proponis nimirum, An in Tëporibus & futuris tentanda sit terebratio? quod attinet, rectè equidem sentis. Verissima enim est Hippocratis doctrina, quæ & quotidianam experientiam comprobatur, in fracturis cranii futuras minimè esse secandas. Cum enim dura meninx membrana exquisitissimo sensu prædita, venæ item & arteriæ quamplurimæ futuris insinuentur, & ob perforationem, & terebrationem irritentur, & dilacerentur, protinùs dolor ingens, inflammatio membranarum cerebri, hæmorrhagia, aliæque graviora symptomata, & vitæ discrimen, ut sequatur, necesse est. Deindè non facile coalescit vulnus, si futura perforata sit, præcipuè si vitium aliquod cerebri præcesserit: poterit tamen ad sanitatem egri conducere, ut ex sequenti Historia videre licet.

Magister PETRVS faber ferrarius, vicinus meus Hildenæ in patria, anno 1593. ad coniunctionem futuræ sagittalis cum coronali, securi percussus, cum insigni cranii fractione, mox in terram semianimis decidit, & cibum indigestum

stum euomuit. Ego vocatus, vulnus satis hians cum maxima, & ad duram menynge[m] vsque, cranii fractiōe, offendi. Multa, grauissimāque symptomata superuenerunt, in primis verò dolor, & inflammatio, quæ multum negotij mihi facessere. Tandem summā adhibitā diligentia[m], multisque extractis ossium fragmentis, cerebro item satis expurgato, Diuino favore, symptomata paulatim remiserunt, ita vt cōualuerit, vlc^o verò in fistulā degeneratū, nullā diligentiā, nullāq; arte adhibitā, cicatrice obducere potui. Sed quod exitiosū atq; mortale sibi fore videbatur, in maximum commodum cessit. Cū enim antea cōtinuò cephalēā vexaretur, postea sanus, & ab omni dolore capitis liber, per multos annos vixit, & forsā adhuc viuit. Historiam verò hanc non ideò recensui, vt trebrationem futurarum probe[m], quin potiùs tyrones, vt ab ea abstineant, adhorter, & quidem propter grauissima, quæ indè sequuntur symptomata. Sin autem contusiones maximæ ad futuras occurrant, præstat ex vna atque altera parte futuræ potiùs, quàm in ipsa futura, os secare.

Temporales muscoli absque maximo vitæ periculo incidi non posse, Hippocrates, omnium quotquot vnquàm in arte Chirurgica, extiterunt virorum eruditorum facilè princeps, & post eum omnes, qui cum ratione artem exercuerunt, testantur. Si enim (vt Hippocratis verbis vtar) tempus sinistrum inciditur, dextrum neruorum distentione occupatur, si dextrum, nerui distenduntur in sinistro. Oppo-

situs enim musculus, id est, partis sanæ, dùm fungitur officio suo, maxillam ad se trahit: læsus verò, quia interim quiescit, fit, vt maxilla versùs partem sanam, non sine maximo dolore, & vitæ discrimine, trahatur. Ascendunt præterea per tempora venæ, & arteriæ, ex quibus hæmorrhagia magna & periculosa est expectanda: vti ego ante annos duos in puella quadam Bernensi, quatuordecim annorum ætatis, expertus sum. Ea ex prima contignatione in folium decidens, dextrum tēpus adeò sibi concussit, vt venæ & arteriæ, quæ illâc ascendunt, simul disruptæ fuerint, illæso tamen cranio. Ego quartâ die post casum vocatus, ipsam febre ardentissima, cum doloribus maximis, vigiliis, faciei quinetiam inflatione, atque inflammatione laborantem offendi. Abrasis itaque crinibus totum tempus dextrum ad frontem & futuram sagittalem, & lambdoideam vsque in maximum tumorem, sed flaccidum, & ad instar vesicæ, aqua impletæ, (absque tamen cutis læsione) eleuatum reperi. Hinc sanguinem sub cute collectum conicere cœpi, nec pus esse potuisse, partim quia in cute nullum apparuit indicium, partim etiam, quia tam paruo temporis spacio, tanta copia generari non potuit. Factâ itaq; prius prognosticatione coram parentibus, tumorem ex vna atque altera parte, & quidem ad latera musculi crotaphite secundum longitudinem incidi, sic enim sinum illum me posse mundificare, & sanare sperabam. Factâ incisione, maxima sanguinis, partim puri, partim coagulati copia effluxit. Primo ap-
paratu

paratu puluerem nostrum ad sanguinem sistē-
dum, stupis albumine oui madefactis, incisio-
nibus imposui. Indè febris, dolores, & inquietu-
dines aliquo modo imminutæ fuerunt: tu-
mor nihilominus parum, aut nihil subsidit:
sanguis enim continuo, & de nouo in sinum
istum influebat. Alterâ die cum nihil minus,
quàm de hæmorrhagia cogitarem, ac vulnus
curare vellem, extractis turundis, eccè denuò
hæmorrhagia magna subsequuta, ita vt rursus
puluerem ad sistendum sanguinem imponere
coactus fuerim. Ipse tamen locus, in quo vasa
in tam magno & ingenti sinu disrupta erant,
quia in conspectum non veniebat, quò pulue-
rem aliâque medicamenta eò vsque inderem,
rem in angusto positam esse, parentibus signi-
ficare cœpi. Tanta enim erat in sanguine ebul-
litionis vehementia, vt tertia die post factas in-
cisiones, me absente, sanguis turundas & me-
dicamenta protuderet, indèque tanta hæmor-
rhagia sequeretur, vt antequàm accurrerem, pa-
rum abfuerit, quin animam simul cum sangui-
ne redderet ægra. Hinc vires multum, ebulli-
tio verò sanguinis parum imminuta fuit, id
quod ex febre, rubore faciei, & incendio, quod
ægra se in capite, & circà vulnus persentire af-
firmabat, satis superque apparuit. Deliberatū
itaque fuit, vt tandem cutis ab vno ad alterum
vulnus transversim incideretur, quò vasa dis-
rupta, in conspectum prodirent, ea tamen dex-
teritate & arte id faciendum, vt musculus tem-
poralis minimè læderetur, quod facilimè me
præstiturum sperabam. Antequàm tamen ex-

tremum hocce remedium experirer, denuò le-
uiora tentare volui. Turundis itaque albumine
oui imbutis, pulueréque nostro ad sanguinem
sistendum asperso, vulnera ita obturavi, vt in-
dè nihil ex sinu effluere posset. Puluillos quoq;
ex stupis factos, & albumine oui cum mucila-
gine gummi tragacanthi intinctos, nec non
puluerè prædicto aspersos, applicui, fasciáque
diligenter colligavi. Vulneribus autem singu-
lis solum aptavi puluillum, & quidem paruum,
vt vulnus tantummodò cooperiret, sic enim
multò meliùs adhærere potuerunt, quàm si to-
tam partem cooperissent. Reliquæ verò parti-
ficus, & circumcirca collum: sequens defensi-
uum applicui.

Defensivum.

℞. Farinæ hordei ꝑ̄ iiij.

Puluer. rosar.

Myrtillor.

Nuc. cupressi

Ranar. præparat.

Gallarum an. ꝑ̄ s.

Succi prunor. syluest. inspissati ꝑ̄ j.

Dissoluatur succus prunor. aceto, deindè reli-
qua admisceântur, fiatque cum albumine oui, a-
ceto, & decocto betonicæ defensivum in mor-
tario, addendo parùm olei rosar. Defensivum
hoc singulis diebus ter aut quater, ne exiccare-
tur, iteravi. Interim optimâ victus ratione v-
tebatur. Iulapia quoque ex syrupo de succo a-
cetosa, citri atque de berberibus cum decocto
hordei, pro ebullitione sanguinis exhibui, cru-
ra item ad genu arctiùs ligavi, & coxis cucur-
bitulas magnas, cum flamma adhibui. Hinc
sym-

symptomata indies imminuta, & vires paulatim refocillatae sunt: turundas verò, & paruos puluillos extrahere & amouere, prius ausus non fui, quàm pus circa vulnus appareret: idque circa tertium fuit diem, quo pus paulatim eos extrusit, nec vlla in posterum sequuta est hæmorrhagia, curationemque sic more aliorum vulnerum capitis, absolui. Ad latera itaque, aut ex superiori parte muscoli facienda est incisio, non autem in ipso musculo. Hæc prolixius vir Clarissime cõmunicare placuit, non ideò quòd tibi in Chirurgicis iam non mediocriter versato, vsui esse posse existimem, sed si forsàn suafu tuo inter obseruationes meas posthac, & quidem in gratiam Tyronum, Epistolam hanc reponere visum fuerit. Vale vir clariss. & meosque amare perge. 5. Maij 1607.

IOH. FRIDERICVS VVERDENBERGIUS Basiliensis Medic. Doctor.

Guil. Fabricio Hildano

S. P. D.

Non est, vir Clarissime atque Experientissime, vt mihi gratias agas pro Enchiridio Medico transmissio Trincauelli, fateor illud munusculum nimis tenue esse: est vt potius tibi gratias referam pro dono dato Tractatu de Combustionibus: quem exquisitissime esse elaboratum, video: deindè quòd ita humaniter tuis literis me compellas, meque digneris respondere ad meas quæstiones propositas. Ad primam quidem mihi respondes, vt videre

C

Responsio ad primam questionem. est, ex Historia ad me scripta, te non approbare terebrationem futurarum, vel in futuris. *Ratio prima.* rationem addis, quia repugnet sententiæ Hippoc. in lib. de vulneribus. Adiicis quoque secundam rationem, cur terebratio non sit tentanda, propter duram scilicet matrem seu menynghem, cum membrana illa sit exquisitissimo sensu prædita: nam illud, quod aliis partibus sensum largitur, necessario exquisitissimo sensu debet esse præditum. Sed menynghes, alijs omnibus partibus sensum largiuntur, teste Fernelio lib. 5. cap. 10. de Animæ facult. ubi sic inquit. *Fernel. lib. 5. de anima facult. cap. 10.* Omnem sensum totius corporis oriri à menynghibus cerebri, motum ab ipsis nervis. Hinc sequitur, illas exquisitissimo sensu præditas esse. Cùm ergò tam exquisitissimo sensu præditæ sint, & principium sint sensus, tunc multò graviora & vehementiora symptomata erunt, si lædantur. *Tertia ratio.* Tertia ratio in hisce verbis latet, cùm dicitur venæ & arteriæ, quamplurimæ insinuentur, & ob perforationem & terebrationem irritentur, & dilacerentur, protinùs dolor ingens, inflammatio membranarum cerebri sequitur, ex qua inflammatione fiunt convulsiones, si nostri senis sententia vera sit, quæ admodum sine dubio est verissima lib. 6. aphor. 39. *Hipp. lib. 6. aph. 39.* Convulsio fit ex repletionem vel inanitione, ita verò singultus. Ex inflammatione membranæ replentur, repletis contrahuntur, contractis fit convulsio: deinde innumera symptomata comitantur, febris nimirum, sitis & vigiliæ. *Quarta ratio.* Quarta ratio est ipsa hæmorrhagia, quia fluxus sanguinis delibitat vires, & spiritus anima-

anima-

animales à sanguine extravasato leduntur, cum statim corrumpatur, ab ipsa autem corruptione inficiuntur, hinc dira symptomata multa. Quinta ratio, dum dicitur (eò quòd vulnus non facile coalescat, si sutura perforata sit) cum sit pars spermatica, partes autem spermaticæ non possunt coalescere secundum Hippoc. aphor. lib. 6. aphor. 19. Quum discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genæ portiuncula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit. Hisce & similibus rationibus probatur nunquam adhibendam esse terebrationem cerebri in futuris, licet videantur rationes adesse, quæ contrarium affirmant. Prima est ipsissima auctoritas Hippoc. in lib. de vulneribus: verba ipsius sic sonant. Similiter & de cerebri membrana tunica uè dicimus, quam primum os terebrato, demito membranam, denudato, purgato, desiccato, ne si diutiùs madescat, & mollescat, tollatur & tumescat, quæ si fiant, periculum est, ne putrescat. Secunda sumitur ab ipsa experientia, & exemplis: nam dantur exempla adhibitæ terebrationis in futuris. Cùm enim studiorum causa versarer in Italia, vidi à Chirurgo quodam operationem perfectam fuisse in futuris. In tua Historia, quoque illud asseritur, dum scilicet ais ad coniunctionem futuræ sagittalis cum coronali securi percussum. Ex hisce, & similibus videtur colligi, tutò posse abhiberi terebrationem in futura. Sed si rem exactiùs & diligentius perpenderit, longè aliter res se habebit. Nam quòd ad auctoritatem Hippocratis, dico Hippocratem non di-

*Quinta ratio.**Hipp. 6. aph. 19.**Rationes in contrarium.**Ratio prima.**Ratio secunda.*

distinctio

cere, membranam sanã esse secãdam, sed illam, quæ iam lacerata, aut læsionem passa sit, tunc cranium esse perforandum, & illam membranam laceratam demẽdam ne putrescat. Quoad exempla, dico, licet in vno aut altero hæc operatio facta fuerit, tamen ex vno non licet concludere, quòd hæc operatio semper sit administranda: nam quæ rara sunt, illa non sunt artis.

*Responsio
ad secundam
quaestionem.*


Ad secundam mihi etiam respondes negando, musculos temporales nunquam per medium esse secandos, propter grauissima symptomata, quæ hinc sequuntur: nam omnes muscoli intertexti sunt fibris, quæ fibræ in fine musculi coeunt, & constituunt tendines musculorum, quod hoc ita sit, docet id Gal. lib. 12. de usu partium corporis humani. cap. 3. dum inquit. Mistum ergo ex ambobus motus instrumentum quoddam efficere oportebat, quod omninò nervo quidem durius, ligamento autem mollius erat futurum. Proinde ut sensus minùs quidem, quàm nervus, sed magis, quàm ligamentum particeps erat futurum, atque etiam roboris ac imbecillitatis, aliorumque contrariorum, quæ nervis insunt, ac ligamentis, medium locum erat habiturum, prætereà quòd substantiæ vtriusque constituentis est particeps, neutrum tamen, neque syncerum, neque solum, neque secretum habet, sed ex ambobus est conflatum. Atque nihil per totum cum alio potest commisceri, nisi prius in partes exiguas fuerit comminutum. Vtrumque igitur in fibras tenues diuidere, fuit necesse, tùm autem eas inter se

*Gal. lib. 12.
cap. 3. de
usu part.*

ad

ad motorij instrumenti constitutionem connectere, quod substantia intra vtrumque medium est. Ex hoc Galeni loco, luce meridianâ clariùs apparet, musculos per medium nunquam esse secandos. Ratio: quia si secarentur, fibræ quoque disseccarentur, quibus sectis excitaretur ingens dolor (quia habent exquisitum sensum, cum oriantur à nervis) ex dolore convulsiones. Si autem diuidatur per longitudinē, urgente necessitate, tunc illæ fibræ manent integræ, & nullus est metus convulsions, aut aliorum symptomatum. Hæc quæ dicta sunt de musculis in genere, illa maximè applicari possunt musculo temporali, nam ille constat plurimis fibris, & est quoque valde membranofus. Hinc necessariò magna symptomata sequentur, si per medium secetur.

Ista sunt vir clarissime atque doctissime, quæ ad tuas respondere volebam; si minùs eleganter aut doctè à me præstitum sit, non velis meæ negligentia adscribere, sed potius difficultati rei.



OBSERVATIO IX.

Inueterata Hemierania, copiosissima sanguinis per aluum profusione curata.

A Nno 1599. Coloniz ad Portâ Martis aurifabrū quendâ Magist. Girardū nomine,


C iij.

gravissimâ & inueteratâ hemicraniâ laboran-
 tem, vnâ cum clarissimo D. IOANNE SLOTA-
 NO, medico celeberrimo, curandû habui. Huic
 multa ac varia tam interna quàm externa, præ-
 scripta fuere remedia. Arterias temporales ei
 incidi, setaceum item ad nucham adhibui, qui-
 bus tamē dolor parûm mitigatus fuit. Tãdem,
 cùm de sanitate eius ferè nobis nihil amplius
 spei superesset, ecce natura, quę insurgit, & san-
 guinis adusti, nigri atq; coagulati ingentē co-
 piam per secessum excernit. Vide nanq; ego
 præsentē Medico, vna nocte vltra quatuor li-
 bras sanguinis per inferiora deiici. Et quãuis
 inde vires aliquo modo prostrate fuerint, eedē
 tamen facilè aquâ cinamomi, cōfectione alker-
 mes, aliorûmq; cordialium vsu, restauratæ fue-
 runt. Vnde dolor capitis quoque non parû le-
 uat^o fuit. Deinde post tres hebdomadas denuò
 circiter libras quinque sãguinis, itidem noctis
 tempore per aluû excreuit. Demùm post duos
 circiter dies, librã vnã & semissem. Interim
 durante sic profluuiò sanguinis, in hoc præci-
 puè incubuim^o, vt vires, tum optimã victus ra-
 tione, tũ corroborãtib. exhibitis, Epithemati-
 búsq; admotis, cōseruarem^o & instaurarem^o. Tã-
 dē dolor capitis cessauit, & paulatim cõualuit.
 Sanguinē autē huncce ex Liene promanasse
 existimabamus, cū antea per multos annos du-
 ritie & scirrholienis, laborauerit. Id q̃ & color
 quoque sanguinis ater, satis supérq; denotauit.
 Ex liene autē primùm in ventriculũ influxisse,
 inde apparet, quòd sēper ante excretionē san-
 guinis huius adusti & coagulati, per diem in-
 tegrum,

Vnde p̃fatione
 prima Coroll.

Hemicrania
 ex liene.

tegrū, aut etiā diutius de nausea cōquereretur,
& grauitatis pondus in fundo ventriculi, non
sine molestia persentiret.



OBSERVATIO X.

*Hemicrania inueterata, extractione
dentium, curata.*

Nobilis matrona in agro Laufannēsi, diu-
turno & acerbissimo dolore, in sinistra
parte capitis, cœlo præsertim frigido & humi-
do existente, vexabatur. Multa variâque medi-
camenta cū interna, tūm externa, ex Medi-
corum præscripto adhibuit, sed frustra. Tandē
ad eā accersitus, cū causas omnes mali huius
diligenter inquisuissē, referebat se ante annos
quatuor, spacio sex mensium, vehementissimo
dentiū dolore sinistrę maxillę laborasse, postea
verò sensim dolorem dentium cessasse, verūna
dolorem capitis, & quidem eiusdem lateris re-
mansisse. Ex his cognoui, hemicraniam ex cor-
ruptorum dentium radicibus, ortum traxisse.
Inspecto itaque ore, quatuor dentes superioris
maxillę erosos, eorūmque radices profundius
inhærentes, inueni. Vnde ægrę persuasi, vt has
dentium radices sibi extrahendas permitteret,
id quod lubens annuit. Institutâ itaque opti-
mâ victus ratione, corpus sequenti pharmaco
purgaui.

℞. Radic. petrosel.
fceniculi &

polypodij querc. an. ʒ. f.

℞ iij

Potio.

Flor. & folior. betonicae

Herbar. agrimonie

Veronicae

Cuscutae an. M. s.

Flor. buglossi &

Rosmarini

Summitat. maioranae an. p. j.

sem. anisi

Foeniculi an. ʒ ij.

Fol. fenae mundator. ʒ s.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiae partis. In colatura ʒ iiij. infundantur, & secundum artem macerentur,

Rhabarbari electi ʒ ij.

Agarici recent. trochiscati ʒ j.

Cinamomi &

Zinziberis an. ʒ j. In colatura cum forti expressione, dissolue benedictae laxat. ʒ ij. Fiat potio.

Postridie cucurbitulas scapulis, & nuchae applicandas curavi. Postmodum sequens Apozema praescripti.

℞. radic. cichorii

Foeniculi

Petroselini

Graminis

Polypod. querc. an. ʒ j.

Flor. & folior. betonicae

Herbar. agrimoniae

Veronicae

Cuscutae

Scabiosae an. M. j.

Flor. buglossi.

Apozema.

Rosma-

Rosmarini

Summittat maioranæ & thymi an. p. ij.

Sem. anisi, &

Fœniculi an ʒ. s.

Liquiritiæ rasæ &

Vuarum passular. exacinatar. an ʒj.

Coquantur in aqua purissima ad t̄b. j. s. Colaturę
infundantur, & macerentur secundum artem.

Folior. senæ mundator. ʒij.

Rhabarb. electi ʒiiij.

Agarici recent. trochisc. ʒij.

Cinamomi electi &

Zingiberis an ʒi.

Mancāt per noctē in infusione, postero die co
lētur & fortiter exprimātur. Colaturę admisce,

Syr. rosat. solut. compositi cum

rhabarbaro, agarico & senna ʒiiij.

Syrupi de betonica ʒij. Misce, &

Fiat Apozema pro 4. dosibus matutinis. Ab-
soluto Apozemate, manē ieiuno stomacho dē-
tes extraxi. Postridiē verò sequentes exhibui
pilulas.

℞ Massæ pilular. aurear.

Cochiar.

Aggregatiuar. an. ʒj.

Diagridij. &

Trochiscor. alhandal. ana gr. iiij.

Cum syrupo de betonica, formentur pilulæ
ʒ. inspergantur puluere Cinamomi.Tandem diebus aliquot bis in die, sequen-
tem adhibui Fotum.

℞ Flor. & folior. betonicæ

Florum rosmarini

Pilula.

Fotus.

Chamomil.

Meliloti

Rosar. rubrar.

Stœchados


summitat. maioranæ

Absynthij an m. s.

Sem. anisi, &

ligni guaiaci an ʒj.

Incidantur ac contendantur, indanturq; faculo, eius magnitudinis, ut totam partem dolentem cooperire possit. Deindè coquatur vino rubro, calidèque applicetur. His diuino favore plenissimè conualuit.



OBSERVATIO XI.

Ex suppressis hæmorrhoidibus mictio sanguinis, & paralysis sequuta, eiusdemque paralysis curatio.

Nobilis Dominus de GLANE, dominus in CVGY, vir pius & probus, per annos multos hæmorrhoidibus singulis mensibus absque ullo incommodo, imò maximo cum fructu, laborauerat. Ineunte vero anno 1605. & ætatis sue septuagesimo circiter, hæmorroides substituerunt. Hinc lassitudo & grauitas totius corporis orta, & post menses duos nimirum principio mensis Martij, sanguinem purissimum per triduum absque dolore eminxit. Corpore leuiter purgato, mictio sanguinis spontè cessauit, uti & lassitudo corporis, hæmorrhoidib⁹ tamè nihi-

nihi-

nihilominus adhuc suppressis. Sequenti deinde mense Iunio Paterniacum venit, meque cum in consilium eius rei gratia adhibuisset, suasi, ut sibi hæmorrhoides aperire curaret. Id cum neglexisset, denuò se malè habere cœpit. Trigesima itaque die Iulij, cum à prandio ex fenestra cursum Broiæ fluminis, & circumuolutionem rotæ molaris inspiceret, dolore capitis & vertigine prius, mox in terram procidens, paralyfi sinistri lateris correptus est. Ego eadem die sub vesperam vnà cum D. EMANVELE VRSTISIO liberal. artium Magistro, conuictore meo suauissimo accersitus, curationem sic institui.

Illicò sequentē potiunculam ei exhibuimus.

℞ Theriacæ optimæ ℥j.

Aq. cinamo. destillatæ sine vino ℥ij.

Misce, & fiat potio.

*Potiuncu-
la.*

Deindè totum latus affect. & spinam dorsi sequenti linimento inunximus.

℞ Ol. chomomel.

Lumbricor.

Rosar. an. ℥j. Misce.

Linimentū.

Non cœnauit ea vespera: & nocte subsequenti, quæ ei aliquo modo grauis erat, benè sudauit. Altera die, prius exhibito clystere aliquo leniente, sanguisugas venis hæmorrhoidibus applicuimus, sanguinisque ad ℥vj. vel vij. extraximus. Postridiè, prima scilicet Augusti, sequentem potionem sumpsit.

℞ Flor. & folior. betonicæ

Saluiæ

Rosmarini an. M. f.

Potio.

Sem. anisi &

Folior. senæ mundat. an. ℥ij.

Coquantur in sufficienti quantitate aque, vt colatura redeat ad ℥iiij. In quibus dissolue

Electuar. diaphœnici cum rhabarb. & diacatholici an. ℥i.

Syr. rosat. solutiui ℥j. Misce.

Fiat potio. Ex qua clementer purgatus fuit, sexies aut septies.

Latus affect. totum præcedenti linimēto quotidie bis inunximus.

Purgato corpore, sequēti vsus est Apozemate.

Apozema

℞. Radicum fœniculi

Petroselini

Polypodij an. ℥j.

Flor. & folior. betonicae

Primulę veris

Summitat. maioranę an. ℥j.

Sem. anisi &

Fœniculi an. ℥ij.

Liquiritiæ rasę ℥j.

Coquantur in aqua, vt colatura redeat ad ℥j. in qua dissolue,

Syrupi de betonica ℥ij.

Sacchari & mellis despumati, quantum fatis, ad saporis suauitatē. Exhibeatur quatuor matutinis cum tabellis Diarrhodon Abbatis.

Absoluto præscripto Apozemate, sequentes sumpsit pilulas.

℞. massę pilular. cochiar. &

aggregatiuar. an. ℥. s. Cum syrupo de betonica, formentur pilulę septem, Inuoluantur puluere cinamomi.

Pilula.

Interim

Interim præcedenti linimento totum latus
quotidie bis calidè inunctum fuerat.

Sumptis pilulis, aliud linimentum, quo quo-
tidie bis inungebatur, præscripsimus.

℞ ol. lumbricor.

Vulpini

Costini an ʒj.

Ol. granor. Iuniperi ʒij.

aquæ vitæ ʒj. Misce, fiat linimentum.

*Aliud lini-
mentum.*

Hisce sic vsus medicamentis, cum spatio de-
cem dierum nullum sumpisset postea medica-
mentum, sequentes pilulas ipsi ordinaui-
mus.

℞ pilular. cochiar. &

de hermodactyl. an. ʒj.

pilular. de agarico ʒjss. Cum syrupo *Pilula a-*
rosar. solut. formentur pilulæ 7. & inuoluantur *lia.*
puluere cinamomi.

Pro corroboratione membrorum nobilium
sequenti utebatur electuario.

℞ Conseruæ flor. betonicæ

Saluię

Primulæ veris

Rosmarini

Maioranæ an ʒ.ʒ.

Specier. aromat. rosati ʒjss.


Cinamomi opt. ʒj. Cum syrupo conser-
uationis corticum citri fiat Electuariū, de quo
singulis diebus, tribus horis ante prandium
sumebat ad magnitudinem castanæ.

*Electua-
rium.*

Ab initio morbi statim optimam victus ra-
tionem obseruabat. A vino, spacio viginti
dierum omninò abstinuit, sed eius loco

hydromelite, in quo flores betonicae, salviae, primulae veris, agrimonia, & veronica coe-rant, utebatur.

His Diuino favore à Paralyfi liberatus, atq; feliciter sanitati restitutus fuit, & deinceps ad-huc annos aliquot sanus & incolumis vixit, anno verò 1608. planè decrepitus, piè in Chri-sto obdormiuit.




OBSERVATIO XII.

Ex diuturna defluxione ad dentes, Ophthalmia, & visus alterius oculi abolitio.

HOnesta quædam ac pia matrona, Colo-niensis, diuturnâ defluxione ad postero-rem dentem molarem sinistrae maxillae, cum e-iusdem erosione, & carie, vexabatur. Medico-rum consilio, pilulis Aureis, Lucis, & Cochiis frequenter purgata fuit, cucurbitularum quin-etiam applicatione in scapulis, aliquoties vsa. Sed cum dentis extractionem recusaret, cum-que caries, tum dolor continuus defluxionem magis magisque ad gingiuas irritaret, & attra-heret, tandem eiusdem lateris ophthalmia ex-orta est. Hinc cataracta & cæcitas insequu-tæ: forsan, quia ratione inflammationis spi-ritus partim dissipati, partim vsu medicamen-torum refrigerantium, vnâ cum humoribus condensati fuerunt.

OBSER-



OBSERVATIO XIII.

Quâ ratione, arena, festuca, segmenta, aliâque similia, ex oculis extrahenda.

AD natam membranam à Pericranio, corneam verò à dura matre, membranis exquisitissimo sensu præditis, procreari, omnes norunt Anatomici. Hinc fit, vt oculi adeò exquisitè sentiant, & ab arenis festucisque facilè lædantur. Vidi nonnullos, qui ex huiusmodi causa leuissima visum amiserunt: Dolor enim, qui ex inflato oculis puluere excitatur, statim humores ex capite ad oculos attrahit, inde symptomata non leuia excitantur. Promptè igitur, & summo studio, quicquid eis inhæret, extrahendum.

Suadent nonnulli, vt violenta narium emunctio, aut etiâ sternutatio excitetur: putât enim huius beneficio naturam simul, quicquid extraneû oculis inhæret, expellere. Id verò vix absque periculo fieri posse, colligitur ex primæ Centuriæ Observat. 24. Violentus enim ille motus, & contusio cerebri, quæ fit sternutando, materiam excrementitiam, tam ad oculos, quàm nares protrudit, & excutit. Sine periculo autem, & paruo negotio, arenam & puluerem ex oculis (vti ego non rarò expertus sum) expurgant oculi cancerorum fluuiatilium, siue lapilli, qui in capitibus cancerorum inueniuntur. Sinistrâ itaque manu eleuanda est palpebra, dextrâ verò circumspectè & blandè vnus ex lapillis imponendus est, mox oculus claudendus,

Sternutatio visui aduersissima.

& quocunque modo fieri poterit, excitandus est somn⁹. Si verò æger in peregrinatione fuerit, oculum strophio obuelando colliget. sic enim lapillus non excidet oculo, nisi prius ipso expurgato. Idque absque dolore & incommodo fieri, affirmare ausus sum.

*De heli-
donio.*


Impostores nonnulli idem de lapillis in ventre hirundinum repertis, prædicant, eosque ad cælum vsque extollunt, & auro carius vendunt. Huiusmodi lapillos in aliquibus non solum absque fructu, imò cum detrimento applicatos fuisse, obseruavi. Est prætereà maximus dolus ac fucus in hisce lapillis, raròque veri & legitimi inueniuntur. Non ità pridem venit ad me impostor quidam, qui se ad aliquot millia inuenire posse, gloriabatur, mihi que plus, quàm centum, monstrauerat, quos veros etiam & legitimos esse asseuerauerat, an verò ex hirundinibus exempti fuerint, affirmare noluerat. Vide qualis contradictio. Diuersi erant coloris, nonnulli rotundi, alij oblongi, sed politissimi omnes.

Alij granum ynum feminis Ormini satiuo oculis non sine fructu imponunt. Quandoquidem semen hoc oculis & visui maxime prodesse, oculosque à segmentis & puluere, expurgare, experientiâ comprobatum est.

Si verò segmentum ligneum aut simile quid membranis infixum est, vt mihi aliquoties videre contigit, tum aliter est procedendum. Imprimis igitur diligenter prospiciendum, vbinam in hæreat, deinde iubeat Chirurgus, vt caput ægroti firmiter teneatur. Ponamus igitur


tur

tur casum, quòd segmentum in inferiori parte Iridis inhæreat, tunc Chirurgus sequens instrumentum auriscalpri instar factum supra segmentum satis firmiter, secundum longitudinẽ adnatæ membranæ apponat, ita tamen, vt acies concavæ partis Instrumenti hoc signo * notatæ, membranam versùs respiciat.



Deinde iubeat, vt æger sursùm respiciat, sic oculum fricando, segmentũ sub instrumento extrahitur. Quòd si id prima vel secunda vice non successerit, non tamen ab opere desistendum est, imò tandiu reiterandũ, donec extractum sit. Sin profundius membranis infixum fuerit, vossellis blandè extrahendum, postea residentia albuminis oui diũ agitati, cum aqua rosac. & plantag. parũmque aluminis crudi, oculo instillanda, puluillus quoque eadem aqua madefactus, applicandus, & cum fascia firmiter colligandus est oculus, tum vt medicamenta contineantur, tum etiam, vt oculus minùs moueatur. Dùm enim oculus apertus est, semper mouetur, at motus maximè contrarius est laborantibus partibus, imprimis oculis.

D



Volsella.



qu
ite
ciu

Si verò superiori aut inferiori palpebræ inhæserit segmentum, stylo argenteo eleuatâ palpebrâ penicillus ex spongia noua, huius magnitudinis fabricatus, & aqua rosac. madefactus, apponendus est segmento, & blandè circumducendus, donec spongia apprehendat segmentum, aut festucam, vel quicquid eiusmodi palpebris inhæserit. Id enim facile fieri posse, nō rarò expertus sum. Verùm enim uerò nonnunquàm arena, pulueres & huiusmodi, tam altè sub palpebris latitant, vt in conspectum non veniant, multò minùs manu, aut instrumentis extrahi queant. Hinc dolores magni, inflammatio, aliâque symptomata nō leuia, quibus protinùs occurrendum purgationibus, venæ sectione, cucurbitulis, & optimâ victus ratione, fronti verò dùm affluxus erit vehemens, applicandum est defensiuum aliquod, oculoque sequens Collyrium instillandum.

℞ Mucilag. sem. cydonior. cum aq. rosac. & plantag. extractæ
Lactis muliebr. an. ℥. ij.

Collyriū.

Caphuræ &

Croci an. ℥ss. Misce, fiat collyriū,

quod tepidè applicandum, singulisque diebus iterādum, aliàs enim acëscit lac, acriùsque efficitur collyrium, vndè deindè quoque dolorem

D ij.

Si

Cautio in collyriis ex lacte. & inflammationem adauget. Vehementiâ affluxus sedatâ, magno cum fructu frequenter sequenti fomento sum vsus.

℞ Sem. fenogræci ℥. f.

Flor. chamomil.

Meliloti


Betonicæ

Euphrasie

Rosar. rubr. an. M. f.

Sacculus.

Incidantur & contendantur, indanturque sacculo, eius magnitudinis, vt hic adumbratus,



qui filo intersutus, & aquâ coctus, oculo ter aut quater interdium applicetur. Hoc modo quicquid præternaturale oculo inhæret, absque periculo effluet. Tandem si opus est, applica sequens collyrium exiccans visumque corroborans.

℞. Aquar. plantag.

Euphrasie &

Fœniculi an ℥j.


Tutiae præparatæ &

Cornu cerui vsti, & præpar.

*Collyrium
exiccans,
& corroborans.*

Cerusa


Cerusæ lotę an ʒij. Misce,
Fiat collyrium.



OBSERVATIO XIV.

*Ex abscissione venæ ad maiorem oculi can-
thum, mors subito sequuta.*

QVàm periculosus sit feruor atque ebulli-
tio sanguinis, tum aliàs, tum anno 1585.
mense Martio Metis in iuæne robustissimo,
& in arte gladiatoria benè versato, obseruare
licuit. Is cùm in ludo gladiatorio diù dimican-
do suprà modum incaluisset, vulnus ad maio-
rem oculi dextri canthum accepit, vbi ramus
venæ iugularis externæ ad frontem ascendens,
simul abscissus fuit. Qui licet exiguus sit, tanta
nihilominùs sequuta est hæmorrhagia, vt vul-
neratus, paulò post nostrum aduentum expi-
raret.



OBSERVATIO XV.

*Sanguinis per nares profluuium, quo-
modo sistendum.*

Hæmorrhagia narium si moderata, & per
interualla aduenerit, ad tuendam sanitatē
conducit, & à dolore capitis, aliisque morbis
grauissimis liberat, ideóque non illicò sisten-

D iij

da est. Sin verò immoderata fuerit, protinùs cohibenda, ne vires simul cum sanguine dissoluantur, partésque nobiles refrigerentur ac debilitentur. Indè enim sequitur cachexia, Icteria, hydrops, & huiusmodi morbi curatu difficiles. Statim igitur turundæ ex carbaso paratæ, albumine oui imbutæ, ac pulvere nostro ad sanguinem sistendum, conspersæ, naribus immittantur. Lapis quoque qui in capite carpio-
num reperitur, in pulverem redactus, & turundis inspersus, à nonnullis commendatur. Muscum tamen, qui craniis hominum, aëri expositis, adnascitur, in subtilissimum pollinem redactum, multò præstantiorem esse, non rarò expertus sum. Posteà linteum replicatum, & poscâ imbutum, aut defensivum aliquod, fronti & naso applicandum est. Si verò hi sce fluoris impetus non sistatur, cucurbitulæ cum magna flamma, scapulis, cervici, natibus & coxis primo absque, deindè verò cum scarificatione erunt applicandæ. Maximo quoque cum fructu musculo anteriori cubitum flectenti, qui à nonnullis biceps appellatur, cucurbitulas cum flamma admovi. Brachia & crura fortiter liganda, ut sanguis ad longinqua trahatur. Linteo quoque aceto, aquâ, & albuminibus ouorum madefacto, genitalia inuoluenda sunt.

Observatio.

Iuveni cuidam Laufannensi, propter maximam hæmorrhagiam de vita periclitanti, non solùm genitalia linteis, aquâ, & aceto, madefactis, verùm etiam totum ferè corpus inuolui. Brachia & crura arctè ligavi, pulverémq; nostrum ad sanguinem sistendum naribus imposui.

fui. Hinc sanguinis fluor remifit, & breui conu-
ualuit.

Est & vena poplitis aut malleoli dextri, fi ex
dextra nare fanguis fluat, vel finiftri, fi ex fini-
ftra, reuulfionis caufa, incidenda, dummodo id
abfque vfu aque calide fieri poffit: manus enim
& crura, fi in his partibus vena incidenda, ne-
que aqua calida sunt fouenda, neque linteis ca-
lidis fricanda: horum enim vfu fanguis inca-
lefcit, subtilior, acrior & fluidior efficitur.
Nonnulli compressionem, quæ fit incuruatio-
ne vehementi digiti minimi, aut filo ferico,
eoque rubro, arca ligaturâ fanguinem repri-
mi cenfent: Sed hoc remedij genus, nifi calida
intemperies fanguinis prius tollatur, nullius
momenti effe, fæpius expertus fum. Sequenti
quoque potione feliciter vtor: temperat enim
feruorem fanguinis, fluorémque fiftit.

Nota

℞. Aquar. fragorum &
Centumnodiæ an ʒj. ſ.

Syrupi granator. aut

De acetofitate citri ʒj.

Succi berberis ʒ. ſ.

Terræ figill.

Doli armeni veri & præpar. an. ʒj.

Misce. fiat potio, quæ frigidè exhibeatur.

Vel.

℞. Aq. plantag. &

Rofar. an. ʒj. ſ.

Trochifcor. de terra figill. ʒj.

Syr. de rofis ficcis &

De succo acetofæ an. ʒ. ſ. Misce.

Fiat potio.

Potio ad
fanguinẽ
fiftendum.

Alia potio

D iiij

Lib. 5. a-
phor. 23.

A vino, & ab eo, quod actu aut potentiâ calidum est, item à tussi, vociferatione, colloquiis, ambulationibus, & quavis motione corporis, æger abstineat, & vt paucis absolvam, totum corpus iuxtâ doctrinam Hippocratis, vt sanguis inspissetur, refrigerare conuenit. Hac methodo multos feliciter sanitati restitui.



OBSERVATIO XVI.

*De periculosa hæmorrhagia narium in sene,
quomodo cohibita fuerit.*

Renerendus Dominus IOHANNES de L'OSEA, apud Muratenses Gallicanæ Ecclesiæ, verbi diuini minister fidelissimus, homo ad sexagesimum ætatis annum appropinquans, varicibus in cruribus laborabat, qui certis anni temporibus spontè erumpere, sanguinèmq; profundere solebant. Quùm verò anno 1605, diutiùs solito, retenti fuissent, hæmorrhagiâ narium, eâque periculosâ, correptus est: viginti enim quatuor circiter horarum spacio, sanguis cõtinuò ferè effluebat. Ego quartâ Aprilis aduocatus, hominem penè mortuum inueni, sanguis per nares & os copiosè promanabat, & (quod mirandum) lachrymè sanguinolentè, simul exstillabant: pulsus ferè nullus, & syncope frequens. Protinùs itaque crura sub genu, & brachia ad cubitum arctè ligavi: naris turundas, albumine oui madefactas, & pul-
uere

uere nostro ad sanguinem sistendum asperfas,
imposui. Fronti verò sequens defensiuum ap-
plicui.

℞ Farinæ hordei ℥iij.
Sanguinis draconis
Boli armeni
Terræ sigillatæ
Crocii Martis

Defensi-
uum.

Corticum granator. an. ℥j.

Succi prunor. syluestr. inspissati &
aceto dissoluti ℥. s. Et cum albumine oui,
aceto, parúmque aquæ, aut omphacio, in mor-
tario fiat defensiuum, quod suprà linteum ex-
tensum, fronti & naso, frigidè applicetur, sæ-
piúsque poscâ irroretur, ne exiccetur, & incal-
scat. Renes & hypochondria, oleo & vnguento
rosaceo, parúmque aceti rosacei simul mixtis,
inunxi, scapulísque cucurbitulas siccas admoui.
Sequentem quoque potiunculam exhibui.

℞. Aquæ plantag. &

Rosar. an ℥j. s.

Terræ sigillatæ ℥j.

Succi granor. berber. ℥ij.


Sacchari q. s. ad saporis suauitatem.

Confect. alkermes (propter virium la-
psum) ℥j. Misce, fiat potio, quam per in-
terualla iteravi.

Potio san-
guinem si-
stens.

His remediis adhibitis, fluor paulatim ces-
savit, per menses tamen aliquot valdè imbe-
cillis fuit, quo tempore eum cibis euchymis,
veluti iusculis carniū recentium, caponum,
hordei decorticati, & similibus, nutriri iussi.
Vinum decocto agrimoniæ, veronicæ, parúm-

que cinamomi diluebat. Hepar linimentis corroborantibus, obstructionesque impediens, innoxius. Per intervalla quoque confectio Alkermes, dissoluta aquâ cinamomi absque vino destillatâ, utebatur. Sic Diuino fauore, ad hunc usque annum 1608. laus Deo, bona valetudine fruitur, nec ab eo tempore vnquam amplius eiusmodi fluxum passus est. Tandem 26. Februar. prædicti anni pleuresi correptus, piè, placidèque in Christo obdormiuit.



OBSERVATIO XVII.

Alia hæmorrhagiæ periculosa, curatio.

Iuuenis quidam robustus ac plethoricus, cum sub sole tempore dierum canicularium supra modum incaluisset, posteaque sponsam suam, quam nouiter duxerat, ardentius, quam verò sibi pro conseruanda bona valetudine conueniebat, amplexus fuisset, hæmorrhagiâ maximâ narium correptus est. Huic à Pharmacopola varia, cum interna, tum externa, sed sine successu, adhibita fuere remedia. Ego vocatus, omnia, quæ profutura existimabam præsidia, præscripsi, & admoui, sed frustra quoque. Quamobrem, cum hominem propter ingentem ebullitionem ac fetuorem sanguinis, in maximo versari periculo, probè cognouissem, extremo huic affectui, extremum potiùs remedium (in quo tamen spes aliqua) adhibendum esse, quam immaturam mortem expecta-

re, ad stātibus & amicis suasi. Labrum itaque frigidā impleri iussi, in quod totum corpus immerfi. Sic frigefacto ac inspissato sanguine, fluxus paulatim restrictus fuit. Postea per dies aliquot sequens Iulapium bis in die exhibui.


& Aquar. buglos. &
acetosæ an. ℥ij.

Syr. de succo limon. ℥j.

Misce, fiat Iulapium.

Iulapium.

Victus regimen tenue ac refrigerans observavit. Et sic brevi convaluit, adeo ut ad hunc usque annum 1609. bona valetudine fruetur.



OBSERVATIO XVIII.

Ex maxima hæmorrhagia, cachexia, tandemque mors sequuta.

ANno 1607. die 21. Nouembr. Reuerendus D. ISAIAS MONNINVS, verbi Diuini minister in Mery ad Muratum, vir pius, & sexagesimum circiter ætatis annum agens, maxima hæmorrhagiâ correptus fuit. Quum verò de puluere meo ad sanguinem sistendum à D. de L'OSEA (qui illum, ut rem pretiosam penes se semper conseruabat) petiisset, & sibi à barbitonfore cum nonnullis aliis medicamentis, veluti defensiuo, & refrigerantibus, (vt paulò antè in curatione D. de L'OSEA à me

*vide infra
cent. 3. obs. 2.
fol. 41.*

viderant) applicandum curauisset, hæmorrhagia cohibita ac restricta fuit. Ego eadem die opportunè Soloduro ex aula Illustris D. EVSTATII REFFVGII Legati Regis Galliarum, Moratum veniens, accersitus fui, ipsūmq; propter sanguinis effluxi copiam, penè exanimatū offendi. Suasi, vt iusculis carniū recentium, caponum, gallinarum, lacte item amygdalarū dulcium, ouis forbilibus, & eiusmodi cibis multūm nutrientibus vesceretur, quinetiam vt medicamentis nonnullis viscera corroborantibus, vteretur. Consilio meo ad dies aliquot paruerunt, postea verò cum in victus ratione æger deliquisset, neque medicamenta idonea adhibuisset, paulatim in cachexiam incidit. Tandem ascite correptus, sequenti anno 1608. mense Februario, animam DEO placidè pieq; reddidit.




OBSERVATIO XIX.

*De Vuula in fungum Scirrhosum
degenerata.*

IVueni cuidam, Culiaci ad marginem lacus Letmanni, diuturnâ destillatione à capite ad gurgulionem laboranti, multa à variis tūm Medicis, tūm Empiricis adhibita fuere medicamenta, sed frustra. Tandem enim in eam magnitudinem excreuit, vt vix inspirare aut expirare posset. Anno 1598.
Lau-

Lausannam venit, tum vnà cum Clarissimo viro Domino ALBERTO ROSCIO apud Lausānenses Doctore Medico longè celeberrimo, in consilium adhibitus gurgulionem tantæ magnitudinis deprehendimus, vt totum palatum adimpleret, anteriorésque dentes fermè attingeret. Et quia tumor iste inueteratus, prædur⁹, liuidus, inæqualis, & vtcunq; dolorificus, palato item adhærescens, venis quinetiam liuidis & sanguine melancholico plenis vndiquaq; cinctus erat, curationem verã aggredi neutiquam ausi fuimus, quin potiùs Deo & Naturæ, totum negotium relinquendum esse, quàm in morbo desperato, nobis nomen imperitorũ medicorũ comparare, arbitrati sumus. Vt tamen precib. cùm ipsius, tùm aliorũ suorum amicorũ aliquo modo satisfaceremus, optimam victus rationẽ ei præscripsimus. Deindè corpus per dies aliquot à prauis & adustis humorib. euacuauimus. Quo facto, domũ eum remisimus. Paulò post, cùm Empirico sese commisisset, è vita decessit.

Anno 1608. mense Februar. vnà cum Doctissimis viris D. Mich. Doringio Medicinæ Doctore, & D. Emanuele Vrstifio, Artium liberal. Magistro, cõuictorib. meis longè suauissimis, Paterniaci virum pium ac doctum vidimus, cui ante aliquot annos vuula à catharro ex vna parte exesa, ex altera vero in maximam longitudinem, sicuti sequens figura denotat, relaxata fuerat.



A. Pars illa est, quæ palato adhærescit.


B. Ex hac parte sinistrum latus versus à catharro exesa fuit, quæ tamē nūc vndiq; cicatrice obducta est.

C. Inferior pars Vuulæ, in duplicē extuberantiam desinens, linguæ incūbit, præcipuè quando expirat. Quotiescunque verò spiritum violēter attrahit, retrò gulam & asperam arteriā versus cedit, quapro-

pter vocem aliquo modo obtusam, & minùs claram reddit: ex deglutitione item cibi & potus, incommodum ferè nullum, ipso referente, perferentit.

Viro huic, quoniam amicitia mihi iunctus, aliquoties consului, vt quicquid huius Vuulæ superfluum, sibi amputandum permitteret, id tamen, quod hætenùs recusavit. Qualis igitur tandem huius exitus erit, tempus patefaciet. Videtur Aretæus lib. j. de caus. & signis acutorū morbor. cap. 8. *κρυσπιδ'ον*. Aetius verò tetrab. 2. serm. 4. cap. 40. Lorum, affectum hūc appellare voluisse. Estque rarus, eodem Aetio teste.

OBSER-



OBSERVATIO XX.

*De tumore Scirrroso ad radicem
Gurgulionis.*

ANno 1608. die 14. Decemb. Nobilissima
ac pia Matrona Domina in Gumain, ex
agro Lausannensi iuuenem quendam ex subdi-
tis suis, nomine Claude Narbe, literis commē-
datiis instructum ad me misit. Laborabat hic
ad Vvulæ radicem ingenti tumore, foramina
narium è palato in nares definentia, adeò op-
plente, vt difficulter spirare, & verba distinctè
proferre posset. Cibum, sed imprimis potū (id
quod mirum) non nisi cū difficultate deglutire
potuit. Tumor oui gallinacei magnitudinem
adequans durus erat, inæqualis, liuidus, ac tena-
citer cū vvuulæ, tum palato adhærens. Quan-
tum ad principium huius mali, retulit, se ante
annos tres, cū suprâ modum incaluisset, hæ-
morrhagiâ narium correptum fuisse, multūm-
que sanguinis partim per os, partim etiam per
nares reiecisse. Dehinc denuò per interualla
eadem hæmorrhagiâ laborasse, ab anno tamen
integro nihil amplius sanguinis, neque per os,
neque nares excreuisse.

Rogauit itaque vehemēter, vt manum huic
affectui adhiberem. Sed mente mihi obuersa-
batur casus ille, cuius in præcedēti obseru. me-
mini. Et quāuis hic affectus ad illâ malignitatē
nondum peruenerat, manum tamē admouere,
recusavi, ipsumque domum remisit. Ab eo

tempore (viti Nobilissimus D. de Gumains mihi retulit) vixit adhuc ad annum vsque 1609. quo in diebus canicularibus rursus maximâ hemorrhagiâ correptus, obiit.



OBSERVATIO XXI.

D E

Vvulæ relaxatæ curatione.

*Ad**Clarissimum atque doctissimum virum D. Do-*

CTOREM MICHAELEM DORINGIUM

*in illustri Academia Giessena Haf-**sor. Medicinæ Professore longè**celeberrimum amicum**singularem.*

cui

Guil. Fabricius Hildanus, S. P. D.

Salum & incolumem te Francofurtū peruenisse Clarissime atque amantissime Domine D. DORINGI, maximo gaudio intelleximus. Faxit DEVS OPT. MAX. vt finē peregrinationis tuę, feliciter te absoluisse intelligere possimus. Post tuum à nobis abitum, iterum ad Illustrem ac Generosum Dominum Legatū Regium, vnà cum Clarissimo D. Doct. LENTVLO vocatus, curationem feliciter, & quidem ante duos menses, absoluimus. Antè octiduū ad Acidulas Griesbachēses profectus est: Propter vrinās enim turbulētas & purulentas suas, quas iā à decem, aut duodecim annis excernit, quāsque

tu

tu ipsemet sæpissimè, dùm mecum ipsi adesses, vidisti (quæ procul dubio affectum aliquem in renibus subesse, significant) ipsi vsum Acidularum consulimus. Processus curationis & operationis ingeniosus fuit, quem libenter tibi communicassem; sed expecto, donec videro, an Dominus Doctōr LENTVLVS aliquid hac de re scripturus sit: nisi id fecerit, tentabo casum illum pro ingenij mei tenuitate scriptis mandare, & tertiæ centuriæ inserere: secunda enim, iam dudum, vti vidisti, completa est. OZænicus noster, laus DEO, optimè conualuit. Post tui discessum ossicula quamplurima è palato eximere coacti fuimus. De Sanicula fœmina, & spiritu Cornu ceruiad Clarissimum D. Doctorem PENOTVM (qui ante mensem sedes suas Genevæ fixit) scripsi, quem D. Magister EMAN. VRSTISIVS quidem ipsemet adiuit; sed quid responderit, ex incluso Apographo suarum literarum, videre poteris.

Cæterùm, quia te Chirurgicarum operationum & curationum avidissimum esse sciam, nō inuitè tibi modum meum procedendi in relaxatione Vuulæ communicare, & instrumenta, ad hanc operationem & curationem necessaria, simul mittere placuit.

Ex duabus autem proximè præcedentibus Observationibus, relaxatas columellas incurabiles, & minimè attingendas, satis superque cognoscere potes. Nunc quomodo ego non rarò maximas quidem & ingentes relaxatas columellas sanauerim, paucis addam. Relaxatur autem, vt HIPPOCRAT. docet lib. 2. de

*Causa re-
laxationis
Vuulæ.*

E

morbis, quotiescunque pituita à capite ad fauces defluens, à columella excipitur. Id quod facile fieri potest, cum sit pars admodum rara, mollis, & spongiosa. Estque affectus hic periculosus: aliquando enim columella cum tonsillis adeò inflammatur, ut eger neque cibum, neque potum deglutire, imò vix spirare possit. Horum ego nonnullos vidi, ac etiam feliciter curavi. Transit & interdum in Gangrænam, ut ex præallegato loco Hippocratis elicere licet. Quod & FORESTVS lib. 15. Observat. 5. annotavit, mihi tamen videre, nondum contigit. Potest & in Anginam terminari, ut tu ipsemet mecum hic in D. IOHANNES MERVLA sene omnimodò reuerendo vidisti, & procul dubio annotasti. Is enim cum inflammatione columellæ laboraret, me absente, Empirico & homini planè ignaro se curandum commisit. Hic per dies aliquot pulverem calidissimū atque adurentem faucibus inflavit, vnde mox inflammatione, & anginâ sequutâ, de vita periclitabatur. Curationem non addo, cum tu ipsemet interfueris. Itaque, ut Chirurgus in hoc affectu, cautè ac præmeditatè procedat, est necesse. Imprimis autem explorandum, an affectus sanabilis sit, nec ne, ne ægro temerè quicquam polliceatur. Deindè etiam, an sit cum, vel citra inflammationem: si enim scirrhusa fuerit columella, & cancro proxima, quemadmodum illæ, quarum in præcedentibus Observat. meminimus, prudentis erit Chirurgi manum non admouere: aut si ægri, amicorum aut adstantiū precibus obtemperare cogatur, nihil quicquā tamen,

tamen, nisi de euentu morbi prius factâ prognosticatione, tentet, ne nomen imperiti Chirurghi sibi acquirat, suadeo. Porrò ex quacunq; ortum duxerit causa, statim ab initio victus ratio tenuis instituenda est, corpus clysterib. acrioribus, sæpiusque iteratis, Aretæo præcipiente, euacuandum, & materia, quæ ad fauces defluit, deorsum trahenda, Ligaturis item extremitatum, sectione venæ in brachio, cucurbitulisq. scapulis adhibitis, defluxus aliorsum reuellendus est. Gargarisma ab initio sit repellens, quale hoc, quo ego uti soleo.

Curatio.

De curatione acutor. morbor. lib. i. cap. 8.

℞ Folior. plantag.

Mespilorum

Caudæ equinæ

Rosar. rubr. an. M. j.

Folior. scabiosæ M. s.

Gallarum ℥. s. Coquantur in aqua ad

consumptionem tertiæ partis. In ℥ ij. colaturæ dissolue mellis rosati, aut diamori ℥ ij. aceti rosac. parùm. Misce, & fiat gargarisma. Loco decocti possunt sumi aquæ destillatæ cum melle rosac. & diamoron. Aliquando & solâ poscâ fœliciter vsus sum. Nonnulli statim ab initio puluere piperis longi gulæ inflato, Vuulæ relaxatæ auxiliari conantur, quod quidem periculo non vacare, tu ipsemet in Reuerêdo Dom. Merulâ obseruare potuisti. Collum quoque oleo rosac. inungere solitus sum. Et si affluxus vehemens, sequens applico Cataplasma.

℞ Farinæ hordei ℥ ij.

Pulu. rosar.

Myrtillor.

Cataplasma.

E ij.

nucum cupressi an. z ij.

Coquatur poscâ, fiatque Cataplasma, addendo sub finem olei rosac. parùm, & vitellum cum albumine oui.

Os singulis fermè momentis, superiori gargarismate abluendum. Si dolor ingens adsit, gargarismati addo parùm seminis fœnogrœci, cydoniorum, & florum chamomillæ. Nonnunquàm quoque, vt loco Gargarismatis lac recēs sumat æger, iubeo, videndum tamen, vt quùm semel os lacte, deinceps quinquies, aut sexies gargarismate abluat: Lac enim, magis lenit dolores, quàm verò affluxum repellat, quod tamè in hoc affectu circà initia præcipuũ. Cæterùm quotiescunque æger aliquâ de causa per se fauces non satis rectè abluere & gargarizare potest, soleo gargarisma, aut lac ægro, siphone clementer in gulam iniicere. Corpus præterea à prauis humoribus expurgandum: Sibilis abûdat, conueniunt electuarium Diacatholic. de succo rosar. Lenitium, Syrup. rosac. solut. cōpos. cum Rhabarbaro, Agarico & Senna, Diaphœnicum. Si v. Pituita, Pilulæ cochix, Aureæ, & de Hiera cum Agarico, ex vsu esse possunt. Si æger pilulas deglutire non possit, potio ex electuario Indo maiori aut minori, vel ex diacarthamo cum decocto betonicæ, scabiosæ, semine anisi & fœniculi dissoluto, ei exhibenda est. Phlebotomiam (si nihil adsit, quod impediât) in brachio, tùm reuulsionis gratiâ, tùm quòd humores omnes simul euacuet, tam in defluxione frigidâ, (si vehemens & suffocationis periculum fuerit) quàm calidâ, admittenda.

admi-

administrare soleo. Cucurbitulas item scapulis, & musculis bicipitibus, cum fructu applico. Hippocrates lib. de affectionibus vult, vt capiti raso in postica parte applicentur, indeque plurimum detrahatur sanguinis. Id tamen extrà Laconicum, vt fiat, suadeo. Fabianus Scheurerus lib. de Catharris, capite de Catharro oculorum, cucurbitulas in Podagricis improbat, ne materia ad spinam, indeque ad articulos trahatur. Rectè quidem, sed quia Podagrici sæpissimè hoc affectu corripiantur, morbus item sit grauissimus, suffocationis quinetiam periculum nonnunquam adsit, ad id, quod magis vrget, Chirurgo præcipuè respiciendum est. Interim etsi aliquid ad articulos deflexerit, minùs tamen periculosum erit, quàm si ad gulam, & facilè postea corrigi poterit. Affluxus autem impetu sedato, ad ea, quæ magis discutunt, transeundum. Vndè sequenti gargarismate magno cum successu vtor.

℞ Folior. & flor. betonicæ
saluix
scabiosæ an. M. f.
rosarum M. j.

summitat. rosmarini &
florum chamomel. an. p. j.

Coquantur in ℥b. iij. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde mellis rosac. ℥iij. aluminis ℥ij. Misce, fiat Gargarisma. Nonnunquam etiam prædicta simplicia vino rubro incoquo. Exteriùs collum oleo chamomillæ aut oleo ex floribus Slotani inungo, & lanam

E iij.

Gargarisma.

succidam applico.

Aliquando quoque Columella propter cōtinuum affluxum materiæ, intumescit adeò, atque relaxatur, vt non minimùm negotij, tam ægro, quàm Chirurgo, faceffat, sicuti mihi tum in multis alijs, tum præcipuè, in viro quodam honesto, ac ciue Paterniacensi videre contigit.

Huic Vvula ad magnitudinem ferè nucis iuglandis excreuerat. Quare impetu affluxus sedato, corporèque semel atque iterum purgato, applicatis item cucurbitulis, sequentem puluerem, bis aut ter in die inflaui.

Observatio.

℞ puluer. rofar. rubr.

balauftiorum,

cortic. granator. an. ʒ. s.

fol. & flor. scabiosæ &

ligustri an. ʒij.

aluminis vsti ʒj. s. Misce, & fiat

puluis.

Aut

℞ radicum bistortæ

Iridis Florent.

tormentillæ

gallar. immatur. an. ʒij.

rofar. rubr. &

flor. scabiosæ an. ʒj.

lapidis calam. præparati ʒj. s.

aluminis vsti ʒij. Misce, &

fiat puluis subtilissimus.

Modus autem eiusmodi pulueres inflandi, talis est. Linguâ speculo oris depressâ, mox spatulâ aut cochleari paruo, & ad id apto, puluis vvulæ admoueatur. Vt autem puluis

Vn-

Puluis.

Alius.

vndique vuulæ aspergi
atque inflari possit, se-
quens excogitavi instru-
mentum, quo multoties
v̄sus sum.



Est autem cochleare ex cupro, eius magnitudinis, ut hîc depictum, conspicitur, cuius manubrium fistulosum, octo pollices longum, & inferiori cochlearis parti annexum, ut ex figura apparet. Ex altera parte folliculum (ex corio, eo modo, quo auceps fistulis suis ad fallendas coturnices, alligare solet, factum) annexum habet. Cochleari itaque pulvere impleto, Vuulæque admoto follis corrugandus est, quò aër pulverem in altum pellat, sicque Vuula ac palatum eo undique aspergantur. Sed quia necesse est, ut minister speculo linguam deprimat, interim dùm Chirurgus hoc instrumento pulverem admouet, ac proindè sic vnus alterum impedit: hanc ob causam, aliud instrumentum longè ad hanc rem commodius effinxi, quo Chirurgus interim dùm sinistrâ speculo oris linguam deprimat, dextrâ pulverem admouet.

Suppe-





Superior pars follis, cui annexum est plectrum
sive Elenatorium A notatum.



Follis hic similiter alligatum habet cochleare cupreum cum sua fistula, longitudine pollices octo continens. Follis verò lōgitudō quinque, vti latitudo trium pollicum existit. Vt autem follis depressus per se in altum releuaretur, atq; vnica manu inflatio fieri posset, in interiori parte sua instrumentum veluti plectrū siue eleuatorium ex chalybe fabricatum, continet, beneficio cuius, superior pars follis in altū releuatur, idq; in altera figura litera A notauimus. Nonnunquā adeò contumacem Vuulæ inflammationem, aut relaxationem vidi, vt vltra mensem eiusmodi puluerem quotidie inflare, necessum fuerit. Hæc ideò moneo, vt de salute ægri semper benè speres, etiam si ab initio res per se difficilis appareat.

Quòd si leuioribus hisce remediis morbus non cedit, ad fortiora progrediendum est. Nōnulli aquā fortem per se, aut aquā Plantaginis vel rosarum, dilutā, aliāque medicamenta caustica admouent: prudenter tamen & cautè hac in re agēdum est, ne malum ingrauescat. Quotiescunque enim malignitas aliqua adest, facillimè malū ab huiusmodi medicamentis acrioribus irritatur: si quis tamen iis vti voluerit, ea, quæ à Paulo Æginetha lib. 6. cap. 31. hac de re traduntur, obseruet.


Sepenumero quoq; Vuulam forficibus abscindere, aut filo ligare, vel cauterio inurere, coacti sumus. Videat tamē Chirurgus ante omnia, ne aliqua subsit malignitas, vel dispositio ad Cancrum, quod facillè cūm ex duob. proximè præcedētibus. Observationibus. tūm ex Paulo Æginetha

tha

In loco præallegato, elicere licet, ubi monet,
 contractas, rotundas, sanguinolentas & subni-
 gras, Chirurgiâ aggrediendas minimè esse. Quæ
 verò contrario modo se habent, nimirum quæ,
 ut idem Paulus docet, tenues sunt, oblongæ, &
 in suprema parte imminutæ, neque nigræ aut
 sanguinolentæ sed subalbicantes, Chirurgiam
 admittere. Tantum autè de Vuula, quantû na-
 turalem excedit modum, auferendum conue-
 nit; est enim veluti plectrû vocis, & qui eâ ca-
 rent, rarò distinctè ac clarè, vocem, loquelâq;
 proferre possunt. Rarò inquam, quandoquidè
 mihi vnum aut alterum videre contigit, quib.
 licet vuula erosa fuerit, adeò tamè distinctè &
 articulatè proferebant sermonem, ac si instru-
 menta omnia integra ac illæsa adfuissent. Alter
 eorum Ozænicus fuerat noster, cui per annum
 integrum, antequam chæna laboraret, vuula
 planè erosa cõspiciebatur, ut suo loco dicemus.
 Sed hæc rara sunt atque infrequentia.

Porrò abscissio hoc modo perficitur. Cuspi-
 dem Vuulæ rostro ciconiæ Chirurgus appre-
 hendat, deindè quod superfluum forcibus ab-
 scindat, parûmq; sanguinis effluere permittat.
 Si autem plus æquo effluxerit, pulvis noster ad
 sanguinem sistendum cochleari paruo, appli-
 cãdus est. Postea gargarismis eiusmodi, quales
 antea præscripsimus, vtendum. Quòd si æger
 incisionem abhorreat, aut sanguinis profluvium
 vereatur, tûm sequenti instrumento, à nobis
 primò inuento, Vuulam absque omni difficul-
 tate atque periculo ligare, & abscindere soleo.

Scult. f. 6.



Est

Est autem stylus, fistularis, longus pollices octo, mihi ex ære fabricatus, cui ex vna parte annulus, eius magnitudinis, vt ex figura apparet, adaptatus est. Is verò ex inferiore sui parte tantum excavatus, quantum ad recipiendum filum opus. Postea seminodus, vt sequens ostendit figura, faciendus.



Fili deinde vna pars G. notata per fistulã, vbi litera B. signata traducẽda. Altera verò pars H. insignita per foramen, C. notatum, quod in superiore parte annuli est, similiter traducenda. Tum deorsum per angustissimum foramen quod in externa parte annuli existit, D. notatum, traducto filo, parti inferiori E notatã, alligare oportet. Sit autem externa pars annuli à C vsque ad D similiter nonnihil excavata, quò filum, ne hinc indè vacillet, continere possit. Quo factò, minister speculo oris, linguam deprimat, Chirurgus vero partem Vuuæ abscindendam, annulo apprehendat, dextrãque filum F notatum, vehementer attrahat, ac Vuulam stringat. Sic enim nodus efficietur, vt sequens figura, in qua A Vuulam denotat, ostendit. Factò nodo ad Vuulam, filum vbi E notatum, abscindatur: & extracto instrumento, vt extrã dentes propendeat, relinquatur. si enim in ipsa constrictione vuulam non absciderit, eadem tamen die, aut sequenti nocte id præstabit.



alā
o prs
o om
ice
ann
no
æ,
nu
q
off
d
fca
lu
la
ue
F
ur
xt
p
le

Sin verò immodicus sanguinis fluxus supervenerit, Cauterium actuale admouendum est, hunc in modum. Habeat Chirurgus duos ministros, quorum vnus caput firmiter teneat, & ægroto oculos velet: alter linguam oris speculo deprimat.

Chirurgus verò fistulam æneam, octo pollices longam, linteoque madido, vndique excepto foramine A notato inuolutam, sinistra suâ teneat, eamque ori intromittat, ac vuulam fistulæ foramine A notato, excipiat. Postea stylo ferreo ignito fistulæ intromisso, vuulam cauterizet, vicinis tamen partibus illæsis. Tandem gargarismis idoneis, melléque rosaceo curatio absolueda est.

Putrefactio aliqua si adfuerit, efficacissimum quoque erit cauterium. Sed quia ægro vehementer ab eo abhorrent, & totam culpam, si res ad votum non succedat, Chirurgo adscribant, ideò prius, medicamenta hæc, que sequuntur, experiri soleo, quibus magno cum successu vtor. Institutâ igitur optimâ victuratione, purgato corpore, reliquisque adhibitis vniuersalibus, vt antea monui, sequenti gargarismate os continuò abluere iubeo.

℞ hordei integri M. j.

radicum plantag. ℥ j.

folior. scabiosę

geranij,

scordij, an. M. s.

rosarum, & foliorum plantag. an. M. j.

Coquantur in ℥ iij. aquę ad hordei crepaturam, tum admisce mellis rosacei, & diamori

an. ℥ ij.

Gargarisma.


an̄ij. Misce fiat gargarisma. Ter quoque aut
quater in die vnguento nostro Ægyptiaco,
(cuius descriptionem pete ex tractatu de Gan-
græna) affectam partem penicillo inungo, id-
que eo vsque continuo, donec putredo, ac
morbi sæuitia remiserit, tùm ea, quæ superius
in relaxatione vuulæ tradidi, adhibeo, iisque
curationem absoluo.

F



Hac

Hæc sunt, Clarissime atque amantissime D. Doctor DORINGI, quæ hac vice communicare libuit: aliâs DEO dante, plura, tu omnia boni ut consulas, rogo. Vale, & me tuum cense. Domestici mei, simul & Clarissimus D. Doctor LENTVLVS, te plurimùm salutant. Ex Musæolo meo 6. Augusti 1608.



OBSERVATIO XXII.

De Ozæna grauissima cum ossis palati
erosione.

Ad

Ornatissimum atque Doctissimum virum D.

EMMANVELEM VRSTISIVM, Artium

liberalium Magistrum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

CVM Historiam hanc de Ozæna grauissima, Doctissime atq; amantissime D. VRSTISI, scriptis mandare cõstituissem, tibi illâ inscribere visum fuit, & quidem geminam ob causâ. Primò, etsi successum curationis affectus huius ex parte vidisti, sanationis quinetiam nunc testis ocularis es: quia tamen aliquoties abfui, integrum processum tibi (harum curationum auidissimo) cõmunicare volui; deinde ut mutux amicitie ac familiaritatis quoque testimonium aliquod in hac Centuria extaret, Rem itaque ordine declarabo.

F ij

LAVRENTIUS TOVPPINVS civis Staffiacensis, vir 30. circiter annorum ætatis, Catharris aliàs à teneris (prout parentes eius sæpius mihi retulerunt) satis obnoxius, cum anno 1605. defluxione acri ad fauces correptus fuisset, inflàmatio indè circà radicem vuulæ cum maximis doloribus, ac tandem etiã exulceratione, exorta fuit.

Profectus Fryburgum, à Chirurgo quodam non imperito, curatus est. Sequenti verò anno qui fuit septimus supra millesimum sexcentissimum, quùm in vitæ regimine deliquisset, & interiorum medicamentorũ vsum neglexisset, Catharrus denuò ad fauces, sed imprimis ad nares, decumbere cœpit. Quia tamen dolores nulli adessent, affectum floccipendit, nec prius in consilium me adhibuit, quàm frustula nonnulla cartilaginum ex naribus eius iam excidissent. Tandem circà principium mensis Maij, Anno 1607. me conueniens, cum affectum eius inspicerem, animaduerti ipsum vuulã destitutum fuisse, (sicuti quoque tibi ipsimet tùm observare licuit) fuerat enim illa iam antea erosa, postmodùm tamen iterùm cicatrice obducta: sermonem nihilominus (quod mirùm) adeò articulatè proferebat, ac si nullus defectus adfuisset. Continuò autem à capite ad nares humor quidam acris & mordax, qui os palati, interstitiùmque nasi erosit, destillabat.

Nasus vndique tumefactus erat, absque tamè doloribus vsque adeò vehementibus.

Vt igitur affluxum humorum ad alias partes diuer-

diuenterem, optimâ victus ratione institutâ, *Curatio.*
 sequentem ipsi potiunculam exhibui.

℞ herbar. betonicæ

agrimoniæ

veronicę

cuscutæ an M. f.

fem. an si &

foliorum senæ an ʒij.

Coquatur in aqua, vt colatura redeat ad ʒiiij.
 in quibus dissolue pulueris laxatiui nostri ʒj.

fyr. rosar. solut. compos. cum

agaric. rhabarb. & sena ʒj. Miscē, & fiat

potiuncula.

Postridiè venam in dextro brachio incidi:
 deindè per interualla scapulis cucurbitulas nūc
 vt vocant, siccas, nunc verò cum scarificatione,
 applicui, naribusque sequens medicamentum
 tum siphone inieci, tum filamentis in eodem
 imbutis imposui.

*Vena sectio
 & cucurbitu-
 lularum
 applicatio.*

℞ sem. cydonior. contus. ʒj.

aqu. plantag.

rosar. &

ranar. aquatil. an. ʒij.

Maneāt in infusione per horas aliquot, & qui-
 dem in loco calido. Expressioni mucilaginosæ
 adde mellis rosac. ʒj.

puluer. corallor.

cornu cerui vsti

lapid. calaminar.

tutiæ omnium præparatorum

nihili an. ʒj. Miscē.

Die septima eiusdem mensis Maij, pro
 maiori diuersione catarrhi, *Setaceum ad*

E iij

*Iniectio in
 nares.*

Setaceum

tertiam colli vertebram adhibui. Naso extrinsecus ad humores repellendos, partemque affectam corroborandam, de sequenti applicui decocto.

*Decoctum
repellens &
corrobo-
rans.*

℞ folior. & florum betonicæ
rosmarini
rosarum rubr.
equiseti,
plantag.
summitat. rubi
folior. salicis an. M. j.

Coquantur in vino rubro ad consumptionem tertiæ partis, Colaturæ addatur modicum aceti. In hoc decocto linteamina aliquoties duplicata, & madefacta, applicentur, eaque sæpius reiterentur.

Ab usu decocti huius, tumor nasi extrinsecus paulatim subsidit.

Ulceri verò palati sequens linimentum imposui.

*Linimen-
tum pro ul-
cere palati.*

℞ radicum angelicæ
aristoloch. rotund.
iridis Florent.
cariophyllatæ
ligni guaiaci an. ℥. f.
cinamomi ℥ij. Misce, fiat pulvis subtilissimus, cuius parùm in vase vitreo misceatur cum melle rosaceo, & ulceri palati cum penicillo indatur.

Postea die à fetacei applicatione ei dosin pilularum mearum capitalium exhibui. Ea die officulum per os excrevit.

Die verò decima prædicti Mensis aliud officu-

ossiculum magnum corrosum & foetidum, per nares emunxit. Dehinc vlcus in palato indies auctum, interstitium quinetiam nasi penitus erosum, ex quo in naso tãta cauitas relicta fuit, vt aliquando tredecim, imò vsque ad quindecim turundas huius figure ac magnitudinis hinc adumbratas, vnã post alterã sequenti vnguento illitas, indere opus esset.



Figura
& magni-
tudo turun-
darum.

℞ succi geranij
succi solatri
semperuiui ana partes æquales.
lithargirij auri
plumbi vsti
lapidis calaminaris
cerusæ an. ʒij.

Vnguentũ.

Indantur in mortarium, quib. primò cochleare plenum olei rosac. affunde, & postquam aliquantum pistillo agitaueris, omniãque probè commiscueris, cochleare plenum ex suprascriptis succis admisce, quibus itidem probè agitat & commixtis, mox iterùm affunde olei parùm & agita. Idque tam diu alternatim &

F iij

continuò agitando facito, donec ad ℥iiij. olei rosac. & tantundem præscriptorum succorum impenderis. Sic habebis vnguētum pretiosum in eiusmodi vlceribus, quæ aliquid malignitatis sapiunt. Interstitium nasi ab apice eius, vsque ad superius labium, propter maximam, quæ hinc inde serpebat, putredinem, paulatim corrodebatur, & quidem non absque maximo dolore, adeò, vt labium superius exulceratum, cotone, aut filamentis suauibus vix abstergere liceret.

Postquàm verò per dies aliquot paruis istis & dolorosis vlcusculis pulverem præcipitatum rectificatum inspersissem, dolor cessauit, malignitasque aliquantùm remisit. Sed & loco mellis rosac. præscriptos pulueres radicum angelicæ, aristoloch. rotundæ &c. syrupo sequenti permiscui.

℞ succi geranij ℥ j.
 radic. scrophular. maioris ℥ ij.
 folior. & flor. betonicæ
 agrimonie
 veronicæ
 scabiosæ
 fumarie
 pyrolæ
 faniculæ
 alchimillæ an. M. ij.

Coquantur herbæ & radices in aqua ad consumptionē tertię partis, colaturę per prælū expressæ, adde succū supra scriptū mellis optimi, sacchari an. ℥ j.

Fiat secundum artem syrupus.

Ad

Syrupus.

Ad temperandā quoq; malignitatē atq; acrimoniā humoris affluētis, vsū feri lactis prescripsi, quo vti cœpit vltima Maij, continuādo vsq; ad 16. Iulij, singulis matutinis tribus horis ante prandium bibēdo haustum vnum saccharo dulcoratum.

Vsus feri lactis ad acrimoniā humor. tēperādā.

Ceterū etsi ab vsu horū remediorū malignitas aliquo modo cōhibita esse videbatur, quia tamen res adhuc in ancipiti erat, ne si curatio minùs ex voto succederet, sicque culpa in me transferretur, suasi, vt Medicum aliquem peritū atq; doctum accerferent. Vnde die II. Iulij vocatus Clarissim^o atq; Doctissim^o D. SEBASTIANVS MEYERVS, Reipub. Fryburgens. Doctor Medic^o ordinarius, cū Paterniacum venisset, & circumstantias omnes, morbūq; essentiā mecum, ea qua potuit diligentia inquisiuisset, causam mali in catharrum acrem ac erodentem ex intemperie quadā cerebri procreatū, referebat. Deliberatum itaq; inter nos fuit, vt æger (quāuis sūmopere à pharmacis abhorreret.) denuò probè expurgaretur, & postmodum decocto ligni Guaiaci per mensem, vel septimanas sex, vteretur. Rursū itaque ℥j. pulueris nostri laxatiui cum ℥j. syr. rosati solut. compos. ei exhibui. Deinde quoque per dies quatuor de sequenti Apozemate, vt vteretur, iussi,

Potio purgans.

℞ radic. cichorij
foeniculi
petroselini
graminis an. ℥j.
polypod. querc. ℥ij.
herbar. & flor. betonicę,

Apozema.

primulae veris
 scabiosae
 ceterach
 polytrici
 cuscute
 veronice
 agrimoniae an Mj.
 sem. foeniculi
 anisi an. ʒij.
 liquiritiae rasae &
 vuarum passular. an ʒj.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiae
 partis, utque colatura redeat ad ℥ ij. De qua
 melle despumato aliquantum dulcorata, & a-
 qua cinamomi aromatizata, tempore matutino
 exhibeatur ad ʒvj. In postrema dosi infunde
 folior. fenae ʒiij.

*Alia potio
 purgans.*

rhabarbari ʒj.
 agarici ʒi s. Expressioni deinde addidi
 syrupi rosar. solut. compos. cum rhabarb. agar.
 & sena ʒj.

Hoc modo corpore expurgato, sequenti de-
 cocto sudorifero uti coepit,

℞ ligni guaiaci ʒvj.
 corticum eiusdem ʒij.

*Decoctum
 primum
 Guaiaci.*

aquae clarae ℥. viij. Macerentur in loco
 calido per horas 24. Postea lento igne coquan-
 tur ad consumptionem medietatis, colentur,
 & in ampulla vitrea vsui reseruentur.

Residentiae eiusdem ligni denuò affunde aquae
 ℥. viij. Bulliant, ut supra, ad consumptionem
 tertiae partis. Quo decocto secundo utatur pro
 Decoctum secundum. potu ordinario.

Decoctum

Decoctum primum semel tantummodo in die, tempore videlicet matutino ei exhibui, & vt sudaret, imperaui. Interim rationem victus conuenientem præscripsi. Vfus est decocto isto septem aut octo saltem diebus, adeò enim sibi aduersabatur, viresq; eius prostrabat, vt diutius vti non ausus esset. Decocto tamen secundo per septimanas aliquot inter pastum utebatur.

Et quia interstitium nasi omninò, os verò palati ex parte tantùm erosum erat, totam nasi cavitatem turundis, præscripto vnguento è succis illitis, vt suprà monui, impleui, quò sic vnguentum non solùm vndique adhereret, verùm etiam nasus, quantum fieri posset, erectus reseruaretur. Vlceri verò palati turundas, syrupo præscripto ex radicib. scrophulariæ, betonicæ &c. cum puluere radicum angelicæ, aristoloch. rotund. &c. illitas, imposui. Hæcque omnia bis in die reiteraui. Extractis turundis, antequàm recentes imponerem, totam cavitatem nasi sequenti medicamento, siphone iniecto, penicillis item in eo inebriatis, abluui.

℞ succi plantag.

geranij

aque ranar. an. ℥j s.

syrupri præscripti ℥j. Misce.

*Iniectio in
nares.*

His adhibitis remediis, malignitas cessauit, vlcera item in cavitare nasi indies cicatrice obducebantur. Verùm vigesimâ primâ Iulij, patre ipsius morbo grauissimo correpto, à me, sumptis secùm medicamentis, ad suos discedere, & post mortem

parentis, res domesticas curare, coactus fuit. Interim superueniente æstu dierum canicularium, quia sanguis ita incaluit, vt acrior maligniorque factus sit, deinde etiam quia medicamenta, quæ secum sumpserat, minùs decenter applicata fuerant, malum recrudescere cœpit. Quapropter denuò consilio meo opus ipsi fuit. Tum de nouo putredinem ac malignitatem exortam esse animaduerti: fœtor enim magnus aderat, apêxque nasi ad pinnas vsque liuidus conspiciebatur. Vndè curationem rursus sic institui.

Corpore prius probè expurgato, venam incidit, cucurbitulas item (etiam si setacei beneficio continuò multi superuacui humores effluerent) ad maiorem diuersionem applicuit. Ulcera in die bis vndique in cavitare nasi, & circa palatum diligenter medicamento præscripto, ex succo plantag. geranij, & aq. ranar. &c. abluï, turundas, vnguento de succis illitis, quemadmodum superiùs monui, imposui. Et quia putredo illa, quæ apicem nasi occupabat, vicinas partes quoque inuadebat, non tantùm apici nasi, verùm & vlceri circà palatum nonnihil vnguenti nostri Ægyptiaci, imponere coactus fui. Sic fauore diuino, putredo & malignitas paulatim remisit, curatio tamen ad mensem vsque Decembr. protracta fuit, propter copiam ossiculorum cariosorum, quæ hinc indè tam ex cavitare nasi, quàm palato, excidebant. Quorum ossiculorum ego vsque ad triginta quatuor reseruo. Exciderunt & nonnulli ex dentibus anterioribus cum suis alueo-

alueo-

alveolis, adeò vt maximum foramen ex ore in ipsam cauitatem nasi penetrans relictum sit, per quod ne aër dispergeretur, sicque vox & loquela impediretur, instrumentum quoddam ex argento, cui spongiola adnexa, fabricandum curavi. Quod instrumentum adeò commodè foramini prædicto palati indi potest, vt sermonem ità articulatè proferat, ac si nullus omninò defectus subesset: cùm è contrà instrumento cum sua spongiola extracto, vix verbum vnum aut alterum distinctè ac articulatè proferre possit.

Figura prædicti Instrumenti.

Inciderunt & nonnullæ aliæ circa hunc affectum, difficultates, quæ curationem hanc, & longam, & laboriosam effecere, quas, quia tibi non ignotas esse sciam, brevitatis causa hîc omitto.

Nunc tamen, laus DEO, æger ita conualuit, ut ad hunc usque annum 1609. optimè valeat, & rem

&
re
ra
fu
ci
ci
D
D
cu
vi
A
se
ua

st
in
b
n

& rem familiarem probè ipsemet administra-
re possit. Apex tamen nasi, quia corrosus fue-
rat, simus factus est.

Curationi huius affectus vnà tecùm inter-
fuere Clarissimi atque Doctissimi viri D. MI-
CHAEL DORINGIVS, Philosophiæ ac Medi-
cinæ Doctor, conuictor meus suauissimus,
Dominus item MELCHIOR SCHONVVAL-
DERVS Medicinæ Candidatus, qui Paternia-
cum transiens, affectum hunc in suo vigore
vidit.

Teste:
rationis n,
fectus hu-
ius.

Hisce vale amantissime Domine Vrstisi, &
Amplissimam Facultatem Medicam Basilien-
sem meo nomine plurimùm salutare non gra-
uaberis. Ex Musæo meo 13. Ianuarij 1609.



OBSERVATIO XXIII.

Ex suffitu Ozæna grauissima, aliaque
symptomata.

Idem ad eundem

*Virum præstantissimum Dominum EMA-
NVELEM VRSTISIVM.*

QUàm periculosa sint suffumigia ex cina-
brio, Doctissime atq; amatissime D. Vr-
stisi, aliàs corã ex me intellexisti. Etiam si enim
in lue venerea inueterata à viris doctis adhi-
beantur, neque ea omninò improbem, ità ta-
men semper mihi suspecta fuere, vt ea ha-

Ænus non adhibuerim. Nihilominus tamen multos, quantumvis inueteratâ lue venereâ laborâtes, DEI singulari beneficio sanitati restitui. Sunt autem in desperata tâtumodò lue Venerea, & robustissimis, ac antea diligenter preparatis, nec non ab omnibus extremētis aliquoties expurgatis corporib. abhibenda. Qui secus, & Empiricorum atque barbitonorum nostrorū more, faciunt, non curant, sed destruunt corpora, & ad summā miseriam perducunt egros. Huius rei exemplum non vulgare post tuum à nobis abitum, mihi videre contigit, quod tibi communicare non grauabor.

Iuuenis robustus, & optimo corporis habitu præditus, ante annos quatuor coryza, cum maxima narium obstructione laborans, Empiricū in consilium adhibuit. Is catarrhum huncce per nares, palatumve facilimè se euacuare posse, audacter affirmare, aurēosque montes promittere, ausus fuit. Quibus æger commotus, se se ipsi curandum commisit. Impuro itaque nec vlllo modo præparato corpore, nudum ipsum sub conopæo in labrum collocavit, ac totum corpus cinabrio in prunas proiecto, suffumigavit, & quidem per dies aliquot. Hinc maxima virium prostratio sequuta est, adeoque pituita ad os & nares confluit, vt circà ossa cribrosa fordidum ac foetidum vlcus sit generatum. Ego superiori mense Maio ad ipsum in consilium vocatus, interstitium nasi omninò, reliquas verò cartilagineas ex parte erosas reperi, ita vt maxima cavitatis, ac nasi depressio adsit: continuò quoque pus foetidum è naribus extillat, olfactus

ctus planè abolitus est: Tanto præterea impetu humores ad faciem defluunt, vt in dies noua tubercula hinc inde oriantur. Circa finistrum canthum minorem ante menses duos rupta est vomica, ex qua relictum est vlcus sordidum: supercilium quinetiam, & palpebræ dextræ in tumorem eleuatæ sunt, noua item in partibus istis apostemata oriuntur. Multa ac varia ipsi præscripsi medicamenta, tam interna, quàm externa, quæ si à præsentis Chirurgo rectè & cum diligentia adhibita fuerint, de recuperanda valetudine spes est, sin minùs, verendum, ne malum indies accrescat, & in peius ruat.

Memini me superioribus annis vnà cum Clarissimo viro D. SEBASTIANO MEYERO Reipub. Freiburgensis Doctore Medico celeberrimo, à duobus nobiles in consilium adhibitum fuisse, quibus similiter post suffumigia vlcera sordida foetidâque circa ossa cribrosa remanserant.

Nudius tertius cuidam nobili Ozænâ ex suffumigiis contractâ, fetaceum ex consilio prædicti D. D. MEYERI, adhibui. Vides itaque, quàm periculosi sint suffitus in lue Venerea, & narium affectibus. Oculis præterea aduersissimi sunt, vt hîc Clariss. D. D. DORINGIO, tèque præsentis in cæmentario quodam, qui ab Empirico suffumigatus, ophthalmiâ grauissimâ correptus fuit, obseruauit. Meritò itaque ab iis abstineat fidelis Medicus atque Chirurgus.

Cæterùm Ozænicus noster, quem probè no-
sti, tam bene nunc se habet, vt nil suprà, adeò vt
ante menses aliquot, formosam & sanam puel-
lam ex vxore sua progenuerit. His vale a-
mantissime D. VRSTISI cum tuis omnibus,
quos tecum ego & vxor mea salutamus. Ra-
ptim. 8. Iulij. 1609.



OBSERVATIO XXIV.


Ex suffitu Ophthalmia.

CÆmentarius quidam Paterniaci, cum
Cæri frigidiusculo in riuulo quodam
frigido fundamenta iaciendi gratia operatur
esset, dolore obtuso tibiærum cum stupore ali-
quo correptus fuit.

Neglexit morbum, admonitiones consilia
que mea spreuit, & Empiricos, nec non
artis planè imperitos tantùm homines ad-
hibuit. Res tandem eò deuenit, vt nunc
non nisi fossulcris, & quidem maxima cum
difficultate incedere possit, tanta in neruis
& neruosis partibus labefactatio, summa-
que imbecillitas exorta est. Cæterùm vnus
ex istis nebulonibus, quùm mira in affectu isto
præstare vellet, suffitum ex cinabrio, antimo-
nio, & similibus, nullo modo præparato cor-
pore adhibuit. Hinc imbecillitas crurum mi-
rum in modum aucta fuit. Et quia in ipsa admi-
nistratione suffitus oculorum ratio habita non
fuerat,

fuerat, periculosâ ophthalmiâ correptus fuit, ex qua visum perdidisset, nisi ego manum adhibuissem.

Itaq; pilulis purgato corpore, & sectis in brachiis venis, adpositis item cucurbitulis, oculisque collyriis aptis instillatis, sanitati restituti fuerunt oculi, crura verò vsque nunc eodem in statu permanent. Curationi interfuerunt Clarissimi ac doctissimi viri D. D. MICHAEL DORINGIVS in Academia Hassorum pro tempore Medicinæ professor celeberrimus, EMANVEL VRSTISIVS, Artium liberalium Magister, Conuictores mei suauissimi.



OBSERVATIO XXV.

DE
Grauissimis quibusdam capitis aliarumque partium vulneribus, & foetore cadaueris post mortem maximo ac teterrimo. Item

DE
Cornuto quodam homine historia admiranda.

EMANVEL VRSTISIVS.

Guilhelmo Fabricio Hildano Medico atque Chirurgo præstantissimo atque celeberrimo.

S. P. D.

PRo variis ac innumeris tuis beneficiis,

G ij

vir celeberrime, mihi que multis modis obseruande, quibus me non duntaxat toto illo triennio, quo conuictu tuo, atque conuersatione iucundissimâ, Paterniaci fretus, cumulatum afficere placuit, verum quod insuper adhuc geminas illas Obseruationes de Ozæna grauissima, mihi, quantumuis nil tale de te merito inscribere dignatus fueris, multis nominibus est vt tibi agam gratias maximas. Utinam vicissim & mihi aliquo officij ac humanitatis genere beneficiis tuis, respondendi facultas aliqua concederetur, animi certè mei gratitudo nunquam defutura esset. Omnem tamen (quantum quidem in me erit) lapidem mouebo, quò mei erga te studij & obseruantix debitæ declarandæ aliquam partem occasionem. Intereà verò temporis omnia à te mihi beneficia præstita, memoriâ gratâ, ac firmâ æternùm hærebunt, obuersabunturque.

Cæterùm, quia à me cupis, vt casum illum funestum, qui ante annum in tui absentia Paterniaci Auenticor. acciderat, tibi communice-
cem. Quocircà eum, prout tum temporis, mihi annotare licuit, breuibus perstringam atque enarrabo.

Historia.

Erant ciues quidam duo, ex vrbe Staffiacensi, ditionis Fryburgensium Auenticorum, nimirùm ANTONIVS GIOVA, & IACOBVS PELIZIER, qui ob commune negotiationis genus æmuli, (ambo enim Staffiaci cenopolæ, & proximi vicini erant,) cùm iam à longo tem-

tem-

tēpore, mutuo odio sese inuicem prosequerentur, accidit, vt quadam die, sexta videlicet Octobr. 1608. in Emporio Paterniacensi, ambo satis poti, fortè fortuna mutuò sese offenderēt, ensibúsq; strictis congregarentur, adeò vt in congressu illo ANTONIVS GIOVA ad sinistri oculi regionem vulnus receperit. Postmodùm verò ab adstantibus à se inuicem separati, cùm sauciatus ab illo vulnere accepto, magis magisq; erga suum antagonistam exacerbatus esset, denuò ansam inuadendi ipsum, quæsiuit. Quocircà cùm eum domum reuersurum, extra oppidum in suburbio rursus offendisset, secunda vice ense stricto ipsum impetit. Tùm temporis IACOBVS PELIZIER, grauitèr adeò inimicum suum in capite sauciauit, vt in terram mortuus quasi cadere coactus fuerit, vbi insuper adhuc alia vulnera recepit. Interim prædicto IACOBO PELIZIER fugam sibi arripiente, succumbens tantam hæmorrhagiã passus erat, vt maiori sanguinis sui penore orbatus fuerit: (quandoquidem eo loci, vbi humi prostratus erat, tanta sanguinis effusi copia conspiciebatur, sicut ego ipse testis ocularis esse possum, vt vitulum ibi mactatum dixisses.) adeò vt adstantes omnes, vulneratum iam omninò mortem oppetiisse, vel saltem morti proximum, sibi persuasissent. Ab adstantibus verò in ædestuas asportatus, nulla fermè ampliùs signa vitæ in ipso elucebant: iacebat enim fixis oculis, o-

inni sensu , motu atque intellectu privatus , solâ respiratione cordis , & arteriarum motu adhuc superstitie. Protinus itaque vna cum honestissima tua coniuge in Chirurgicis ac Clinicis exercitatissima atque industria, manum adhibere , vulneraque omnia inflicta , specillo curiosè & anxie , cum scrutari cœpissimus , primùm quatuor diversa in capite vulnera profunda , & sibi inuicem fermè partim continua , partim etiam contigua , in ipsam vsque substantiam cerebri penetrantia , inuenimus , quæ dum specillo accuratiùs explorarem , in maiori vulnere officula nonnulla offendimus. Horum quatuor capitis vulnerum , quod erat maximum omnium , oriebatur ab osse temporis dextri , à quo suprâ os syncipitis obliquè versùs latus sinistrum , futuram sagittalem perreptando ad alterum os syncipitis lateris sinistri tendebat. Ab huius vulneris extremitate altera , aliud exoriebatur vulnus, continuum adeò priori , vt vulnera illa duo propter continuitatem , vnum idèmq; viderentur , (cum tamen reuera diuersa essent) Vergebat vulnus hocce à modò dicti vulneris extremitate altera ad os fermè temporis sinistri. Prodebant sese & alia bina in capite vulnera , sibi inuicem proximè coniuncta , quorum alterum originem suam ab altera prædicti maximi vulneris extremitate suprâ futuram lambdoideam ad os occipitis vsque tendebat : alterum quod inflictum erat vulnus , iuxtâ modò dictum, itidem

itidem à supradicto maximo vulnere oriebatur, & instar iam iam dicti vulneris quoque supra futuram lambdoideam, versus os occipitis progrediebatur. Insuper & alia nonnulla vulnera in aliis corporis partibus inflicta sese in conspectum dabant, utpotè sub cubito brachij sinistri, in quo vulnus obliquum, latum ac profundum conspiciebatur, adeò ut magnus nervus per medium dissectus appareret: minimus quoque manus sinistrae digitus ferè omninò amputatus, ut saltem cuti appenderet: minimus quinetiam manus dextrae digitus, ab apice ad secundam iuncturam vsque omnino discissus erat. Et notandum, vulnera praedicta brachij & digitorum exanguia adeò & exiccata fuisse, ut inde nil omnino cruoris exudaret: propter sanguinis forsàn, ad partem magis offensam, caput videlicet, affluxum: vel etiam propter maximam iam antè factam haemorrhagiam. Postquam itaque vulnera praedicta sedulò explorassemus, ægrumque extremam virium imbecillitate laborantem, animadvertissemus, oppidò omnia ea, quæ ad curationem vulnerum suorum necessaria videbantur, præparauimus. Et interim dum à ministro in capite circa vulnera, capilli tonderentur, & nouacula abraderentur, ei per os potiunculam confortantem exhibuimus, deinde protinùs sanguinem hinc inde adhuc promanantem, medicamentis ad sanguinem sistendum appropriatis, restrinximus. Post, vulneribus omnibus probè deligatis,

cùm fauciatus ab adstantibus in diuersorium publicum, in quo ei decumbendum erat, deportatus fuisset, fasciæ quadantenus inter deportandum ipsum relaxatæ fuere, adeò vt de nouo vulnera deligare opus fuerit. Tùm temporis aliud denuò confortans medicamentum, quod simul grumofum ac coagulatum sanguinem hinc inde in corpore collectum, dissolueret, per os ei exhibuimus. Ex quo mox, dum vires aliquantulum recollegisset, sanguinem grumofum excreare cœpit. Post horæ deinde quadrantem, conuulsiones, in sinistro latere, in labiis, palpebris oculi, musculis item pectoralibus & brachio, violentæ adeò superuenere, vt ægri brachium à viro, quantumuis robusto, non nisi maximâ vi, contineri potuerit. Quæ quidem conuulsiones secundum Hippoc. lib. 5. aphorif. 3. vulneribus post copiosum sanguinis profluuium superuenientes lethales existunt.

*Hipp. 5.
aph. 3.*

Postridie, septima videlicet Octobr. intellectus aliquantum redire cœpit, (omni tamen loquelâ adhuc abolitâ, nisi quòd ad interrogata vnico verbo difficulter Imò vel Nō respondere posset.) Conuulsiones verò partium dictarum assiduè in eodem statu permanebant: aderat insuper maxima virium imbecillitas, cum maximis totius corporis doloribus.

Die octauâ Octobr. conuulsiones in brachio sinistro cessare cœperunt, quæ tamen in sinistra faciei parte, in eodem statu

statu

statu subinde persistebant. Insequentem deinde noctem, satis tranquillam cum e- gisset, postridie 9. Octobr. mane con- uulsionibus in facie quoque quadantenus sedatis, versus vesperam deinde horam cir- citer tertiam pomeridianam, viribus adeo erat prostratus, vt superindormiret, graui- que somno sopiretur, quo tempore ei Epi- themata Cordialia applicuimus. Cum au- tem ab hora tertia ad sextam circiter horam eiusmodi profundo somno cum stertore so- pitus esset, tandem ab eodem expergefa- ctus, singultu illico superueniente, animam magno cum clamore efflauit. Post mortem deinde eius, cum fascias vulnerum cerebri soluissemus, tam foetidus ac teter odor inde exhalauit, quem adstantium nullus ferè suf- ferre posset, vel saltem demortui cadauer ap- propinquare ausus fuisset. Posterâ die manè, cum denuò prædicta vulnera inspiceremus, maximam efferuescentiam & agitationem sanguinis serosi, putridi ac foetidi animad- uertimus, vt mirum dictu sit, quanta humorum in cerebro fuerit ebullitio. To- tum deinde caput, facies, brachia & ven- ter in tantum intumuerant (in primis scro- tum in magnitudinem capitis infantis ali- cuius eleuabatur) vt cadauer aspectu horridum omninò appareret. Quinetiam prædictæ partes omnes adeo flavescebant, ac si croco omnimo- dè infectæ fuissent.

Et hæc sunt vir Clarissime, quæ circa

huncce casum funestum observare & annotare potui.

Porro, quia te quoque rerum admirandarum ac rararum curiosissimum esse, mihi satis superque constet, simul eadem operâ hîc coronidis loco, historiam quâdam prodigiosam atque annotatione non indignam, de quodam homine cornuto, quem anno 1598. Lutetiis Parisior. vnâ cum clarissimo D. DOCTORE IACOBO FÆSCHIO pro tēpore in alma Academia Basiliensi Professore publico, ac celeberrimo, Domino item IOANNE ECKHENSTENIO, tūm temporis discipulo meo, ipsemet vidi, eiusque cornu manibus palpavi contrectauique, subnectere lubuit.

Erat autem Cornutus ille FRANCISCVS TROVILLOV nomine, homo stature mediocris, corpore satis obesus ac repletus, caluus, (occipitio excepto, quod capillis aliquantum inuestiebatur) aliàs morosus admodum, moribus ac gestibus rusticis planè præditus, ac pelle vulpinâ vestitus, adeò vt aspectu horridus omninò esset: natus in viculo quodam, Gallicè les Mezieres indigitato, qui ad D. LAVERDINVM, Regis Galliarum, Polemarchum spectat. Huic à teneris in locis syluestribus à carbonariis educato, ad annum septimum vsque ætat. suæ, nullum adhuc alicuius cornu indicium apparebat, quo tamen tempore è fronte primùm extuberare cœpit, adeò vt circà annum 17. ætatis suæ ad in-
stag

2) *Historia
prodigiosa
de quodâ
Cornuto.*

Senn. l. 5. Hist. p. 169.

Starapicis alicuius digiti magnitudinem prominere. Quod postmodum progressu temporis paulatim eiusmodi incrementum accepit, donec tandem circa annum ætatis suæ 35. tam magnitudine, quam formâ, cornu arietis prorsus referret atque adæquaret.

Cornu hocce è medio frontis enatum, supernè ad verticem, futuram coronalem usque retortum, progrediebatur, ut cutim eo loci omninò fermè attingeret, quod etiam (ipsomet id referente) iam semel antehâc, firmiter adeò cuti inhæserat, ut doloris evitandi gratia, id ipsum necesse fuerit aliquantum rescare atque rescindere. Quoties cornu illud palpabatur, vacillabat, cornutus verò inde dolorem maximum persentiebat, ita ut tandem ab adstantibus vix amplius sibi istud palpari passus fuerit. Hoc autem an in ipso frontis osse, vel cute solummodo radices suas fixas habuerit usque adeò mihi non constat: credibile tamen quia cornu tam amplum atque ponderosum, radices omninò in cranio ipso egisse. An item cornutus ille dentibus molaribus præditus fuerit, non observavi. Qua autem ratione & ex qua materia cornu istud in hoc homine generari potuerit, id omne tibi perpendendum relinquo.


Tandem cum cornutus ille per duos menses Parisiis conspiciendus, expositus fuisset, Aureliam versus conductus fuit. Quo

loci quum peruenisset, paulò post diem suum obiisse, intellexi. /

Atque hæc sunt, Vir omnibus modis colende, quæ tibi de casu illo funesto, deque cornuto prodigioso, communicare in præsens lubuit. Quæ omnia, vt hilari fronte, & eo, quo à me proficiscuntur animo, suscipias, & porrò favore atque amore tuo solito, me prosequi pergas, etiam atque etiam rogo, obtestorque. Basileæ Rauracor. 12. Decemb. 1609.

Nominis tui Clarissimi studiosissimus.

M. EMANVEL VRSTISIUS.
φιλιáτρος.



OBSERVATIO XXVI.

De percussione quadam grauissima in occipite, ex qua mors, & fœtor horrendus sequutus.

Ornatissimo atque doctissimo viro DN. EMANVELI VRSTISIO, artium liberalium Magistro.

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

Quem misisti Catalogum, præstantissime atque doctissime DN. VRSTISI, Illustri ac Ge-

ac Generoso DOMINO, Legato Regio ostēdi, nihil in ipso quod ad ipsius intentionem faciat, reperit: pro suscepto tamen labore gratias tibi agit maximas. Casus, quem mihi communicasti, gratissimus fuit, estque lectione dignus, in quo foetor ille qui ex vulneribus exhalauit notandus. ANNO 1594. simile quid Coloniae Agrippinae mihi obseruare licuit. Vir quidam natione Italus, & mihi familiaris, robustus, quinquaginta circiter annorum ætatis, sed optimo corporis habitu præditus, qui & à iuuentute morbis parum obnoxius fuerat, quum eum iuuenis quidem Italus, qui vix vigesimum annum ætatis attigerat, odio prosequeretur, illum tamen viriliter magnanimèque aggredi ausus non esset, clam vulpinaque indutâ togâ, ipsum percutere, & membrum aliquod baculo perfringere tentare voluit. Res ipsi successit: quadam enim die circa tertiam pomeridianam, cum negotiorum suorum causa ex foro domum redire vellet, clam atque à tergo, in platea tamen publica, venit iuuenis iste, ac tali ictu circa ceruicem ipsum baculo percussit, vt protinus in terram veluti mortuus ceciderit, loquelam, nec non intellectum amiserit. Ad ædes suas deportatus, eadem nocte, inter tertiam & quartam naturæ fatissedit, etiamsi nullum contusionis, minus vulneris (foran propter vestes) appareret vestigium. Id autem in hoc viro annotatione dignum occurrebat, nimirum grauissimus quidam ac deterrimus foetor, qui


statim post acceptum ictum, ex ipsius corpore exhalare cœpit. Fœtor ille ita auctus fuit, ut separata à corpore anima, nullus eorum qui ad mortuos tractandos ibi constituti, cadaver appropinquare posset; sed necessum fuit, opus hoc committere illis qui sordes urbis & latrinas expurgare consueverunt. Unde verò fœtor ille gravissimus provenerit, nondum video, cum homo iste, uti dixi, sanus, robustus, & morbis parum obnoxius, semper fuerit: tibi que hac de re ulterius cogitandi, ansam dare volui.

*Alia histo-
ria de ho-
mine quo-
dam cor-
nuto.*

*Barthol. Dr
unicornu
p. 2.*

Porro hystoria de homine cornuto, quã communicasti multum placet, In primis quia effigiem simul addis. Habet DN. BARTHOLOMÆVS CABROLLIVS, olim apud Mōspelienses Cheirurgus longè celeberrimus, simile exemplum. Refert enim Mōspeliensem JEAN GUY nomine, ipsius consilium ac opem implorasse, ac cornu, quod sibi ex frōte, ad latus finistrum exurgebat, monstrasse, simulque, ut id amputare vellet, petiisse. Firmiter autem cranio adhæsisse, & semipedem longum, crassum verò pollicem fuisse, scribit. Ad radicem abscisso cornu, sanguinem tam copiosè effluxisse, ut canterium actuale applicare necesse fuerit, addit; nihilominus tamen mundificato vlcere, & inducta cicatrice, virum hūc conualuisse, asserit. Vale præstantissime Dom. Vristisi, & me tuum cense. 29. Octobris 1609.

OBSER-



OBSERVATIO XXVII.

De Corde adhuc viuento, non exigua sui parte,
putredinem passio.

A


*Viro nobili D. Marco Offredo Philosopho summo
& Doctore Medico longè celeberrimo, obser-
uata, mihi que communicata. 17.*

Martij A. 1606.

Mense Augusto anni 1600. IACOBVS
RVANVS agricola, annos natus 45. plau-
stri sceno onusti euersionem ruinamque in se
passus, de punctorio, simulque grauatio do-
loris sensu in pectore, nec non de quadam cor-
dis compressione, & spirandi difficultate,
conquestus est. Thoracis vertebræ, quæ
citrà vllam costarum fracturam contortæ &
subluxatæ conspiciebantur, leui negotio ope-
rà Chirurgi fuerant restitute, ipsæque ægrotus
post quattriduum adeò leuatus, vt ad consue-
tos labores redierit. Verùm aliquot elapsis
diebus ardente febris conflictari cœpit, cum
asthmate, deliratione, vigiliis perennibus,
siti maximâ, genarumque rubore, & leipothy-
miâ sibi mutuò succedentibus: ita demùm
vndecimâ morbidie (cùm præsertim à vini
vsu, coniugis indulgentiâ non abstinuis-
set) vitam finiuit. Ad aperto cadauere,

omni

id imprimis rarum innotuit. Pericardium sca-
tens pure sanioso, cui velut immersum cor,
 magnâ sui parte ad vtramque potissimum au-
 riculam, partim exesum, partim etiam marci-
 dum visebatur, quinimò contagium supernam
 sinistri ventriculi regionem iam inuaserat: in-
 super & ab ipso corde, dùm Chirurgi manibus
 comprimeretur, saniosa quædam materia exi-
 liit: pulmo eiusdê labis particeps, aliis interim
 visceribus à naturali statu parùm immutatis.
 Dissectioni interfuerunt, **PAVLVS OFFRE-**
DVS, Doctor Medicinæ, & **MAGIST. SIMON**
 Chirurgus.




OBSERVATIO XXVIII.

*Ingens abscessus inter pleuram &
 costas repertus.*

Reuereudi ac doctissimi viri Dom. **STE-**
PHANI A CASTRO BELLO verbi Diuini
 ministri fidelissimi filiola, tussiculâ continuâ
 & difficultate anhelitus vexabatur. Circa vn-
 decimum mensem ætatis sub axilla dextra
 exortus est abscessus: quo à me aperto, pus co-
 piose per mensem integrum effluxit: exiguum
 tamen leuamen inde habuit. Tandem clauso
 vlcere, symptomata, veluti tussis, difficultas an-
 helitus, virium prostratio, & nutrimenti fasti-
 dium, aucta sunt: ita vt decimo octauo circiter
 mense ætatis è vita discederet.

Post mortem præfente Reuerendo ac doctif-
 fimo

si mo viro Dom. IOH. RITTHERIO, ET IACO-
BO MARIONE, multisque aliis, inciso cadaue-
re, ingētem abscessum sub axilla sinistra, & qui-
dem inter pleufrā, & costas inueni, in quo pus
copiosè repertum fuit. Mirum profecto, quo-
modo in tenello infantulo, talis abscessus, in
parte tam exquisito sensu prædita, absq; mor-
tis discrimine generari potuerit. Similem ferè
casum lector Obs. 71. Centur. 1. videre poterit.



OBSERVATIO XXIX.

De lapidibus in Pulmone repertis, exempla tria,
EXEMPLVM I.

LVDOVICVS ROCHALFINGER
Pannonius, per multos annos asthmate &
tussi laborans, tandem extenuatus, anno 1593.
die 13. Martij Coloniae Agrippinae obiit. Post
mortem eius præsentibus nobilissimo doctis-
simoque KAROLO VTENHOVIO, ac IOANNE
SLOTANO Medico celeberrimo cadauer disse-
cui, in eoque (præter hepatis, lienis, aliorumq;
viscerum obstructionem ac scirrhositatem) in
Pulmonis substātia, lapidem prædurum, & vn-
dique asperum, nucis iuglandis magnitudine,
validissimā quadam tunicā carneā inclusum, in-
ueni. Prætereā hinc inde per pulmonis substā-
tiam, præcipuè autem circā ramos asperæ arte-
riæ, tubercula plurima, ex viscida materia in
scirrhos concreta, absque vllō tamen vlcere re-
periebantur. In pericardio item ad libras duas


vsque aquæ continebatur, vti & in pectore multum eiusdem aquæ innatabat.

EXEMPLVM II.

Biennio post denuò mulieris cadauer ex Phthisi mortuæ, præsentè Dom. D. IOHANNES SLOIANO Medico celeberrimo incidi, in cuius pulmone copiosas arenulas cum aliquot lapillis inuenimus.

EXEMPLVM III.

Anno 1604. Paterniaci Auenticor. in Xenodochio denuò cadauer mulieris diuturno morbo laborâtis, in præsentia D. Doctoris ALBERTI HAVVENZV VIGII Berlinësis, cõuictorisq; mei incidi, in cuius pulmone lapides quamplurimi tam albi, quàm atrii coloris reperimus.




OBSERVATIO XXX.

Frustula Pulmonis per urinam excreta.

” **A**Nno 1600. 14. Augusti, cū essem Viuiaci in officina D. Iacobi Probi Pharmacopœi, cõuenit me rusticus, qui mihi urinam fratris sui ante menses iam septem Phthisi correpti, conspiciendam præbebat. Erat illa rubicunda, & scatens materiã simili filamentis, qualia post factam in manu pedëve, phlebotomiam, visuntur in aqua calida. Eam materiam coniectabam è pulmonibus promanasse, nec diù vitalem fore ægrotum. Id quod & euentus postmodùm quoque edocuit; siquidem is decimo quinto die post discessum meum obiit.

O B.



OBSERVATIO XXXI.

De Materia Pleuritidis per vrin-
nas expurgata.

Ad

Clarissimum atque doctissimum virum Dom. D.

IANVM ANTONIVM SARRA-

ZENVM Philosophum acutissimum,

& Medicum Regium longe ce-
leberrimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

IN iis quæ nuper ad te scripsi, vir præstantis-
sime & compater perpetuò honorande, præ-
cipuum fuit morbus Pleuritis, reuera acutissi-
mus, quo Domini IOH. RHETERII Professo-
ris nostri Hebraicæ linguæ vxor laboravit,
nūc verò singulari DEI beneficio, cōualuit. In-
curatione autē huius matronę, materię Pleuri-
tidis per vrinās euacuationem, quum melius
atque manifestius, mihi, quàm vnquam ante-
hac obseruare licuit, T. Exc. (nisi mole-
stum videbitur) rem paucis communicare pla-
cuit.

Quartā huius mensis die, cum matrona hæc *Historia*
circā res domesticas occupata fuisset, ac in-
terim ad sudoris eruptionem incaluisse, do-
lore pleuritico eadem nocte, in latere dex-
tro correpta fuit. Ego sequenti die vnā

H ij

cum Clarissimo viro, D. D. Roscio vocatus, ipsam febricitantem, & dolore acutissimo sub Omoplata, & axilla antrorsum ad sternum vique laborantem, inuenimus: syncopæ quoque frequentes, nausea, & capitis dolor aderant.

Porro propter dictas syncopas, & quòd vterro gestaret, purgantia medicamenta & venesectionem improbauit D. ROSCIUS, quamobrem clysteres eò frequentius iniecimus. Initio pectus oleo lilior. chamomil. & rosaceo inunximus, & syrupum de polytricho, & liquiritiæ exhibuimus. Secunda die vrinæ cœperunt esse turbulentiæ, & rubicundiæ, veluti admixto sanguine. A tertia verò die ad quintam planè sanguineæ, quæ tamen paulatim in materiam purulentam transierunt, adeò vt à septima ad decimam & vndecimam pus vrinæ admixtum clarè perspicere possemus, nec deinde aliam crisin in ipsa obseruauimus.

Ab initio autem vsque ad finem secundæ diei, (quo tempore vrinæ veluti naturales conspiciebantur.) acutissimus ille dolor fixus fuit qui elapsâ secūda die sensim, & per gradus quasi ad lumbos, & ipsam regionem renum versus, descendit. Septimâ tandem dolor iste paulò suprâ renes confedit, nec vltèrius descendit, sed paulatim remisit, ità vt ante vndecimam, & dolor omnis, & febris disparuerint, & iam optimè conualuerit. Vale vir amplissime cum nobilissima coniuge tua, quàm tecum ego, & vxor mea peramanter salutamus. Raptim Lausannæ 30. Martij 1598.



OBSERVATIO XXXII.

De vulnere quodam pectoris, cum abscif-
sione portionis cuiusdam i-
pſius Pulmonis.

A

Clarissimo atque Excellentissimo viro, D. AL-
BERTO ROSCIO olim apud Lausan-
nenses Doctore Medico longè
celeberrimo, curato, mi-
hique à

DOMINO

ABELO ROSCIO F. nunc quoque apud
Laufannenses Doctore medico celeberrimo, communicata.

Infanabilia Pulmonum vulnera afferūt Me-
dici ac Chirurgi ferè omnes, (vir Clariffi-
me) cum tamē ipſa perquā benè consolidari ac
curari ſepius contingat, vt ex variis neoterico-
rum hiftoriis colligere eſt: idque maximè cla-
rum fit ex obſervatione genitoris mei, pię me-
morix ALB. ROSCII Doctoris Medici tibi
amiciffimi. Quæ fanè hiftoria iam ante an-
nos multos ab ipſo accepta ferè è memoria
exciderat, hanc tibi communicare volui, priùs
quàm tota penitus è mente effluxiſſet, quod ea
inter curationes miras reponēda, ſeu inter vul-
nera admirabilia curata recensenda mihi di-
gna viſa ſit.

Erat apud Delphinates in vrbe Calmuntij,


H iij

vbi medicinā per aliquot annos felicissimè fa-
 ciebat pater, ex nostris vicinis quidam secundū
 pectus grauitè saucia^o vulnere punctim facto,
 is etenim inter pectoris costas, ni fallor quintā
 ac sextā nō procul ab osse sterno vulnus acce-
 perat, cui cū gladius lato mucrone pulmonē
 ipsum læuissimè perfodisset, in sui extractione
 & exitu, nescio quomodo in gyrū facto secum
 pulmonis portiunculā per vulnus foras eduxit:
 quare statim à cūctis adstātib. morti proximus
 adiudicat^o fuit æger. Attamē vulnerati precib.
 condescensentes amici, & affines Patrē Medicū cū
 Chirurgo aduocandū curārunt, qui etiā vulnus
 lethale pronūciauit adstantib. egrū tamen sem-
 per bono animo esse iussit, & ne de salute despe-
 raret, man^o auxiliares illi à dicto Chirurgo ad-
 hibendas & curationem tentandam voluit pa-
 ter. Iussitq; quamprimū eam lobi pulmonis
 partem, quæ foras prominebat, prius benè vi-
 no lotam in pectus retrudēdam. Sed eam dum
 tractaretur leuiter liuescere animaduertēs, am-
 putare fecit ferreo candente instrumento. Re-
 liquū verò in pectus benignè retrufit Chirur-
 gus, dilatatis prius cūneo, ad id ex tēpore para-
 to ligneo, costis: Deinde vulnus ex arte, postea
 & Medici præscripto curatū fuit, intrā propina-
 tis quibusdā pectoralib^o ex vulnerariis deco-
 ctis per aliquot dies, tandē conualuit æger, qui
 deinde in multos annos vitā protraxit: pulmo-
 nib. ac thorace semper sanis, & ab omni noxa
 prorsus immunib. Pulmonū itaq; vulnera per
 se incurabilia semper aut lethalia existere nega-
 mus. Nisi inflāmatione vuln^o profundū sit affe-
 ctum

ctum: vel vbi magna vasa, aut bronchia lesit, aut propè cor attigit. Hæc moris succisuiis scribēda duxi, vt tibi viro doctissimo, & mei amatissimo satisfacerem ac morem gererem. Interea te vnà cum tuis bene feliciterque valere exopto. Lausannæ, Idibus Decembris Anno 1606.

Tuus vt suus

ABELVS ROSCIVS D.



OBSERVATIO XXXIII.

De vulnere quodam admirando Pectoris, cum diaphragmatis dilaceratione, & vetriculi suo loco amotione,

A

Clarissimo viro D. DANIELE SENNERTO Doctore Medico longè prestantissimo, & in Academia Vuittebergensi Professore publico & celeberrimo mihi cōmunicata.

S Quòd literas meas non ingratas tibi fuisse scribis vir Excellētissime, amice honorande, gratū mihi accidit: gratissimum verò illud, quòd D. Doctori DORINGIO, vel ob meā cōmendationē, officia tua & beneuolētiam promittis, & procul dubio iā cumulatè exhibuisti. Pro quo officio si aliquid à me p̄ficisci posset officij: in exoluēdo & præstando me inuenires prōtissimū. Interim magnas pro hac tua beneuolētia tibi ago gratias: gratum quoq; animū, quocunq; potuit modo, declarasse ipsum D.D. DORINGIVM spero. Easde gratias ago pro Tractatu de Combustionib. & cū nihil, quo mutuū hoc compēsem, iā habeā aliud, mitto ad te Di-

H iiij

sputationē de Pestilētia, in qua siquid monēdū vides, amici officiū feceris, si illud me non celaueris. Porro cū non dubitem, tibi in curationibus Chirurgicis multa rara & miranda obuenire, atque ea te studiosē annotare: rem non ingratham tibi me facturum putavi, si sequentem casum ex annotatione D. ANDREAE SCHATONIS piæ memoriæ, soceri mei, quondam in hac Academia Professoris Medicinæ, tecum communicauero. Est autem talis. HEINRICVS BVSCHERHOVIVS, Reualiensis Liouonus cū melancholiâ, tentationibûsque variis vexaretur: res tandem eò rediit, vt ex Saxonia Vuittebergam rediens ante portam vrbs proprio gladio se confoderet, Anno 1582. 20. Septembr. infrà quartam costam in thora- cem adacto, & sub nona costa in tergo exeunte. Quod vulnus tamen intrà menses duos sanatum est, & satis benè postea habere visus est. Verum accidit, vt post menses aliquot, iterum de absurdis cogitationibus conquere- retur, & postea die 28. April. anno 1583. malè haberet, & sequentibus diebus primò aquam, & quicquid cibi assumpsisset, post viri- dia, tandem die 2. Maij nigra quater, eaque magna copia reiiceret vomitu, cum sudoribus frigidis & leipothymia, ac denique post vltimum vomitum expiraret. Corpus apertum est, deprehensūque vulnus per pulmones & diaphragma penetrasse, & quidem diaphragma transsoffum fuisse in nerueo circulo. Pulmonis ferè nihil repertū est in sinistro latere cōsoffo, cū procul dubio cū pure exierit, exigua portiū- cula

*Memini hanc
riam hanc in
Clariss. Schu-
fome visitari.*


cula aderat costis adnata. Vētricul⁹ tot⁹ ascēde-
rat in sinistrū thoracis lat⁹, & cor cū capsula de
sede sua depulerat in dextrum latus, vbi & viuis
ille iubebat obseruari cordis pulsum. Cor are-
factum erat, copiosa citrina aqua in capsula.
Omentum & Pancreas totum etiam ferè circā
ventriculum computruerat.

In qua historia tūm alia certè admiranda,
tūm illud videtur, quòd ventriculus sedem suā
ita mutauit. Sed iam plura scribendī ocium
non est. Bene valeat Excellentia tua. Dab. Vuit-
teberge 5. Maij. 1608.

T. Exc.

Studiosissimus

Daniel Sennertus, D.



OBSERVATIO XXIV.

De vulnere abdominis cum abscissione
cuiusdam portionis Hepatis.

Ad

*Amplissimum ac Clarissimum virum Dom. D.
DANIELEM SENNERTVM in celeberrima
Vuittenbergensi Academia, Medicina
Professorem longè excellentissimum
atque celeberrimum.*

DOctissimum tuū atque eruditionis ple-
num, vir Amplissime, Domine & amice
omnimodè mihi honorandissime, scriptum de
PESTILENTIA, quod ad me misisti, tam gra-
tum fuit, quàm quod gratissimum. Datā oca-

*Exemplū
seminarij
pestis quod
per aliquot
dies in cor-
pore circū-
ferebatur.*

sione, ne erga Excell. T. ingratus videar, operam dabo. Cæterum legenti mihi disputationes hæc tuas de PESTILENTIA, nonnulla ad hanc materiam spectantia, in mentem venerunt, quæ hic adscribere non grauabor. Pestilens seminarium per aliquot dies in corpore, antequam vim suam exerat, circumferri posse, inter cæteros Laufannæ in quodam Theologiæ studioso, adolescente robusto, obseruavi. Is cum peste se infectum esse cognouisset, CLAUD. MARIONEM, Pharmacopœum longè exercitatissimum mecum in consilium aduocauit, ut quæ ad curationem pestis necessaria nobis viderentur, ipsi præscriberemus atque præpararemus. A duobus enim, aiebat, iam ab hinc diebus seminarium Pestis, in me delitescere, certò scio. Et quia ad paternas ædes libenter me conferrem, omnibus quæcunque vobis hac in re necessaria videbuntur, instructus esse percuperem. Præparatis itaque medicamentis, viæ se committit, & pedes iter vnus dei cum dimidio, absque insigni difficultate absoluit. Sequenti tamē nocte, postquā ad parentes venisset, febre, cum rigoribus maximis correptus fuit: bubo quinetiam in inguine, cuius iam initium Laufannæ ante suum discessum persenserat, protinùs auctus est. Adhibitis ergò alexipharmacis, reliquisque remediis, quæ secum attulerat, conualuit, & etiamnum viuit, fungiturque ministerio Ecclesiastico. Sed erat iste, ut dixi, robustus & optimo corporis habitu præditus.

NB

Amuleta ex Arsenico, puluere bufonum,
aliisque

aliisque confecta, & tempore Pestis collo ap- *De amule-*
 pensa, maximam ad præseruationem vim ha- *tis in Peste.*
 bere, non est quòd dubites. COSMAS SLOTA-
 NVS Illustriss. Cliuiacensiu &c. Principis Chi-
 rurgus longè celeberrimus, Præceptor meus
 fidelissimus, magni semper ea solebat facere,
 maximamq; ac longam eorum se habere expe-
 rientia, nò rarò mihi affirmavit, eaque cuiusuis
 ætatis hominib. appendebat. Ego quoque po-
 stea nò rarò cum fructu iis vsus sum. Sed quid
 sentis de vsu muriæ in Peste? Nouissæ ad Rhe-
 num ciuem quendam Taschenmacherum no- *De muriæ*
 mine, Iurisconsultum cognoui, qui me præsen- *in Peste.*
 teretulit, se maximo cū fructu domesticis suis,
 & amicis, muriam in peste sæpissimè exhibuis-
 se. Accipiebat autem muriam carnis porcinae,
 eamque ad ignem in lebete coquebat, & pro-
 bè despumabat, donec ab omni immunditie &
 sordibus expurgata esset, postea eam in vas
 fictile infundebat, in coque relinquebat, vsque
 dum refrixisset, tū in ampullis benè clausis,
 eam conseruabat, & non nisi post annum ex-
 hibebat. Quamprimū autem aliquis pe-
 ste correptus esset, haustum huius muriæ ei
 propinabat, & vt in lecto sudaret, ab omni que
 alio potu, per horas aliquot abstineret, iniue-
 rit. Retulit, hoc genus remedij, in nonnullis
 per sudores, in aliis per vomitum, in reliquis
 per aluum, aut per vomitum & aluum simul,
 tam affatim euacuare, vt maior pars eorum, qui
 illud sūperint, sanitati restituta fuerit. Ego ta-
 men nūquam periculum feci, neque facere au-
derem, nisi tuam sententiam hac de re prius

intellexero. Porrò casus, quem communicasti, mirum in modum arridet, eumq; si Exc. T. ita libet, secundæ Centuriæ Observationum mearum Chirurgicarum inseram. Rarissimus enim est, & cùm diuini Hippocratis, tùm Neotericorum omnium sententia, mortem subitanæ intulisse debebat. Refert quidem PARÆVS, se in quodam, cui septum transversum perfoßum fuerat, ventriculum in thorace reperisse: sed addit ipsum triduo post obiisse. Ille contra, cuius Exc. T. mentionem facit, per menses multos superuixit. Militem quendam ictu sclopeti in thoracem vulneratum, post menses tres aut quatuor à curatione, fragmentum costæ per asperam arteriam reiecisse, PETRVS PIGRAY Chirurgus celeberrimus, annotauit, Tam maxima, & vehemens pulmonis attrahendi facultas existit. Ex huiusmodi historiis primò summa DEI potestas ac misericordia apparet: deinde nunquàm in morbis, quantumuis grauissimis, desperandum, sed inuocando DEI misericordiam, summâque adhibita diligentia de salute ægri semper benè sperandum esse. Quamuis enim vulnera partium principum, ab Hippoc. non immeritò lethalia censeantur, sæpissimè tamen sic vulneratos euasisse, obseruavi, vti quoque in Observationibus meis de vulnerib. cerebri, vesicæ & intestinorum exemplis annotavi. Vulnera quoque Hepatis, quæ omnium ferè difficillima, propter sanguinis, quæ inde sequi solet profusionem, videntur, non omninò insanabilia esse, experientia docuit, & viri docti testantur. Mihi quoque exemplum vnum

non

*De Hepatis
vulneribus.*

non vulgare obseruare contigit, quod Exc. T. communicare visum est. Heluetius quidam triginta annor. ætatis in conflictu quodam gladio Heluetico è regione hepatis percussus fuit, maximúmque vulnus recepit. Sanguis copiosè effluxit, ita vt in deliquium animi incideret. Aduocato Chirurgo, cùm vulnus explorare, & medicamenta ad sanguinem sistendum imponere vellet, frustum Hepatis, ad ostium vulneris sese offerebat, quod cùm forcipibus apprehendisset, integrè extraxit. Ac quamuis sæuissima superuenirent symptomata, nihilominus tandem DEI beneficio, optimè cõualuit. Post annos tres febre continuâ correptus, Geneuâ appulit, ibique in nosodochio receptus, Clarissimo ac Doctissimo viro D. IANO ANTONIO SARAZENO Medico Regio piæ memoriæ, cõpatri meo plurimùm honorando, ac D. IOHANNI GRYFFONIO Chirurgo longè celeberrimo, curandus commissus fuit. Ego, quùm quadam die ipsum cum prædictis viris inuiserem, & grauitè laborantem offendissem, altâ voce sic exclamare cœpit. Nonne miserâdum, me nunc febre absumi, neque à duobus curari posse, cùm tamen ante annos tres grauitè in latus fauciatus, vt frustum Hepatis gladio mihi abscissum atque extractum esset, ab vnico tantummodo Chirurgo DEI beneficio, sanitati restitut⁹ fuerim! Nos cùm hac de re attoniti, latus in conspectũ exhibuit, & cicatricem longitudinis spithamæ è regione Hepatis monstrauit. Post paucos dies, cùm occubuisset, cadauer eius incidimus, & portiunculam quandam in-


fimi lobi Hepatis abscissam fuisse, vulnúsque cicatrice eleganter obductum, re ipsa comperimus. Reliquæ verò partes corporis, imò & ipsum hepar, nihilominùs secundum naturam se habebant.

Denique de causa inopinati à nobis discessus clariss. viri D. DOCTORIS DORINGII, & quòd inceptam peregrinationem suam absolvere ipsi non licuerit, omnes dolemus: fuit enim nobis charus, meritòque ipsum propter probitatem, & singularem sui doctrinam, eruditionem, & in artem Chirurgicã animi propensionem, amamus ac veneramur. Dolum quod apud nos reliquit, Francofurtum ad Bibliopolam vestram ZACHARIAM SCHEV-
RER misi, qui id tibi, vt spero, traditurus est: fac quæso, vt ad D. D. DORINGIUM peruenire possit. Vale vir Amplissime cum tuis omnibus, quos tecùm ego omnesque domestici mei peramanter salutamus. 20. Iulij. 1608.

Tuæ Excell. addictissimus & obsequentissimus

G. Fabricius Hildanus.

OBSER-



OBSERVATIO XXXV.

De Fungis læsarum partium corporis humani.

Ad

Virum Clarissimum & Excellentissimum, D. GUILHELMVM FABRICIVM HILDANVM, Chirurgum & medicum experientissimum, Dominum & amicum plurimum honorandum.

S Literis tuis, vir Clarissime, amice honorande, quibus ad meas respondes, & vtilis quasdam de Pestilentia obseruationes, vt & historiam militis, qui parte Epatis per vulnus absessa, conualuit, comunicas, mihi gratissimæ acciderunt, dudúmque ijs respondi, si incertis nuntijs, in hac locorum distantia, meas committere voluissem. Nunc, ne diutius taceã, hanc occasionem arripio. Rem autem non ingratham me tibi facturum existimo, si par pari referã, atque iterùm de quibusdam rebus Medicis, & Cheirurgiã præcipuè, in qua inprimis excellis, spectantibus, ad te scribam.

Facis in Obseruationibus tuis Cheirurgicis mentionem fungorum, & læsis membranis cerebri, ex humoribus ad locum affectum affluentibus eos nasci doces. Quæ & aliorum Cheirurgorum est sententia, vbi in mentem mihi hoc incidit dubium: An solùm membranis

Dubium.

cerebri affectis generentur fungi? Faciunt quidem, ut video, Medici solum fungorum in vulneribus capitis mentionem: Sed in aliis quoque partibus, fungos nasci posse, hæc duæ persuadere videntur Historiæ, quæ superioribus annis, dum hîc Vvitebergæ Medicinæ operam darent, acciderunt. Prior hæc est. Puer quidam annos natus circiter decem ex saltu pedem sinistrum ad terram vehementius allisit, atque in planta è regione minimi digiti, læsit. Hinc tumor primò suprâ malleolum externum conspectus fuit, qui à rustico quodam imperito (forsân luxationis alicuius reponendæ gratiâ, adhibito) postea deorsum pulsus fuit. Hinc tumor paulatim incrementum sumpsit, ita ut totum pedem prehenderet, cutemque insigniter distenderet, & pedes digitorum magno intervallo ob tumorem interiectum distarent. Cutis tamen colore sanæ parti planè fuit similis. Tentata ut fieri solet à variis varia, sed omnia frustra. Tandem ad Chirurgum peruentum: qui cum suppurationem, ob insignem loci mollitiem factam esse crederet, & dolores crescerent, aperuit locum. Parùm sanguinis, puris verò nihil effluxit: mox verò profiliit quasi pinguedo quædam, quæ vulnus claudibat. Sequentibus diebus spongiæ nigro seroso sanguine plene, copiosius erumpere cœperunt: & in planta pedis versus digitum minorem vna nocte quasi *vémporis* incidit tanta, quæ dimidiū thalerū æquaret. Aperta illa, nihil tamè putridi decidit, & nihil mortuæ carnis separari potuit, sed fuit caro quasi spongia adusta, cruentâ,

ta;

ta, sanguine turgens & stillans. Cœperunt & aliis in locis, ad latera, & suprâ talos fungi se efferre, fœdo & horrendo aspectu, vt pars illa pedis magnitudinem capitis pueri superaret. Tandem ad sectionem ventum, & præcisum est pedium vsque ad os nauiculare & calcis: Quod abscissum est, caro fuit tota fungosa, partim putrida & corrupta, partim coagulata, densa & viscidæ pinguedini porosæ similis, pondere ferè lb̄ iiij. Verùm sequentibus diebus spongiosa caro, iterùm magna vi prorupit, & quantum interdiu auferebatur, tantum noctu iterum succreuit. Denique tumor magnus ad sinistrum inguen, loco, quo glandulæ sunt, in femore exortus est, specie planè similis ei, qui in pedio ab initio conspiciebatur, qui & ipse postea, sua sponte ruptus est, ex quo magna spongiosæ carnis copia excreuit. Non ita multò post puer in viuis esse desiit.

Altera historia hæc est: Puer duodecim annorum dentium dolore grauiter vexatus est. Deuentum tandem ad extractionem: extractus est vnus ex dentibus superioribus. Oritur postea tuberculum in palato propè illum dentem, magnitudine nuclei pruni. Isthinc cum esset molle, nec sponte aperiretur, pus subesse creditur: aperitur, sed nihil effluit, nisi aliquot guttæ sanguinis. Postea verò caro spongiosa, nigricans, prorumpit: quæ vsque ad eum increuit, vt non solum per os prominere, sed & per nares excreveret, pueroque tandem mortem afferret. Parentes primam mali causam suspican-

*Altera hist.
storia.*

tur hęc fuisse. Puer iactus fuit pila niuea, cui lapillus inclusus fuerat, ad interiorem oculi angulum. Eo loci post menses tres ortum fuit tuberculum, quod postea presente spongiosa illa carne in fistulam quasi degeneraret. Hęc eo fine ad te, vir Clarissime, scribo, vt ex te audiā, quid tibi de generatione fungorum videatur. Faciunt quidem antiqui Cheirurgi, Guido, Theodoricus & alij, mentionem excrescentiarum, nactarum seu naptarum, vt appellant, quę apostemata magna, carnosā & mollia sunt fungus est, esse dicunt: fungorum tamen, quātum quidem meminimus, mentionem faciunt tantūm in vulneribus capitis. Itaque ad me perscribas velim, an hi quos in his duabus historiis descripsi, veri fungi fuerint, si non pro fungis habes, ad quod genus tumoris pertineant. Si verò pro fungis agnoscis: qui sit, quod authores saltem in capitis vulneribus de iis mentionem faciant, verūm itaque fungorum subiectum scire velim. Quid si illud sit membrana in genere, aut quodcunque corpus membranofum? sed nihil definire volo: verūm tuum ea de re iudicium, & aliquid etiā de vera fūgorum curatione (si quid præter illa, quę in Observationibus sunt, habes) expecto.


B. V. Dab. V Vittebergæ Cal. Septemb. 1609.

T. Excellentię

studiosissimus

DANIEL SENNERTVS Do-
ctor & Medicinæ professor.

OBSER.



OBSERVATIO XXXVI.

De Fungis tam carnosis, quam osseis,
in diuersis corporis partibus
nascentibus.

Amplissimo atque clarissimo viro DN. DANIELI SENNERTO Medicinae Doctori, & in illustri Academia Vvitebergensi Professori longè celeberrimo, amico singulari,

GUILHELMVS FABRICIVS HILD.
S. P. D.

Quas Calend. Septemb. 1609. ad me literas dedisti, vir Amplissime, tandem 9. Martij proximè elapsa, accepi. Et quia nundine Francofurtenses instabant, quin etiam Basileam & Augustam Vindel. mihi proficiscendum erat, ad eas maturius respondere non licuit, Quapropter ne Exc. T. moram ægrè ferat, obnixè rogo.

Affectus quos communicasti, tecum fungos appello, & fungos appellari posse, non est, vt quispiam in dubium reuocet. Etiam si enim Aucthores tantummodò de fungis in capite denudatis membranis nascentib. mentionē faciant, attamen diligēter exploratis causis fungorum, cur & in aliis corporis partibus nasci nequeāt, nondum video. Sed quia id rarissimè accidit, & sepius ad aliquod aliud genus tumoris

huiusmodi excrescentiæ carnosæ referri possunt, ut postea dicam, visum est Authoribus illas solummodò excrescentias carnosas, quæ exempto cranio, ex membranis, aut cerebro ipso propullulant, fungos vocitare, quum tamen si, (ut dixi) causas & generationem fungorum spectare velimus, in aliis quoque corporis partibus, non minus, quàm ex ipso cerebro, aut eius membranis nasci possint. Huius sententiæ quoque ex antiquis nonnulli sunt, & quidem præstantissimi Cheirurgi, Bruno in primis, Theodoricus & Bertapalia. Quandoquidem Bruno sub nomine NACTA, nihil aliud intelligit, quàm fungosas hæc excrescentias. Sic enim verba eius sonant. Plerunque accidit in quibusdam hominibus superfluitas quædam, quæ vulgari nomine dicitur NACTA & est apostema carnosum, magnum, molle ut plurimum sicut fungus, & non est cum eo dolor; aut si est, dolor in eo est parvus, neque calor, neque pulsatio &c. Theodoricus eadem habet verba, non tamen NACTAM, sed NAPTAM, eiusmodi excrescentias, Bertapalia verò, NATTAM illas appellat. Et disertè dicit esse apostema glandulosum siue carnosum, & rectè quidem. Aliquando enim huiusmodi excrescentiæ (de fungis in capite non loquor) malignam aliquam in se continent qualitatem, duræ inæqualésque sunt. A glandulis tamen differunt, ut idem Bertapalia testatur. Ex suprascriptis itaque descriptionibus, hæc definitio rectè elici posse,

*Bruno lib.
2. cap. 8.*

*Theodoricus lib. 3. c.
31.
Bertapalia de apostematib.
cap. 20.*

posse, mihi videtur, nimirum Fungum corpus quoddam esse carnosum, ut plurimum laxum, molle, & ferè indolens, ex humoribus superabundantibus & flatulentis, subito, & paruo temporis spacio, progenitum. Ut plurimum, inquam, sæpissimè enim non laxa, aut mollis est ex crescètia hæc, sed dura, & glandulosa, inæqualisve, nō indolēs, sed cum dolore, præcipuè si malignitas aliqua adfuerit, quemadmodum in fungis, qui in infimis corporis partibus nascuntur, sæpissimè adest. In membranis verò cerebri, non ita fit, & rarissimè fungi maligni, nisi insignis aliqua contusio adfuerit, & proinde putrefactio, inveniuntur: crassus enim humor, ex quo fungus malignus generatur, non facilè sursum ascendere potest. Materia enim fungi circà meninges, aut cerebrum ipsum, ut plurimum benigna est, & ut Ioh. And. à Cruce refert, aërea, nec non vaporosa, ideòque excrescentiam minimè malignam procreat. Excrescentia autem illa, quia sæpissimè paruo temporis spacio prorumpit, mollis est, Galeno à similitudine fungus appellatur. Quemadmodum enim fungi qui cælo existente calido & humido, ut plurimum vna nocte è terra prouenientes, spongiosi ac molles sunt, ita etiam fungi circà meninges, aut cerebrum ipsum, si humor aliquis benignus copiosè affluerit, citissimè exoriuntur, & quidem propter summam naturæ prouidentiam, Cùm enim vix aliquid reperi possit, quod adèò sit inimicum cerebro eiusque membranis, atque aër externus, illa est

*Definitio.**Lib. 1. c. 17.**De loc. affect. lib. j.**Epidemior. lib. 9.*

providentia naturæ, ut quamprimùm ipsas te-
 gumento aliquo munit obtegítque, ideóq; co-
 piosè affluente humore aliquo (non tamen pu-
 trido, à quo fungi terrestres & arborum, enasci
 solent, sed benigno & laudabili) protinùs de-
 caro copiosè enascitur. Quòd si igitur ali-
 quis generationem prædictorum fungorum
 ad humores secundarios, rorem, glutem
 & cambium referre velit, meo quidem iu-
 dicio non multùm à via recta aberrabit.
 Eandem naturæ industriam in ossibus quo-
 que denudatis conspicimus, quibus, cum
 aër similiter sit infensissimus, natura
 quamprimùm fungosa quadam carne tegit.
 Hinc fit, ut fungus nonnunquàm durâ mem-
 branâ existente integrâ, enascatur, præ-
 eius scilicet præseruatione, ne uti dixi, à
 aëre externo lædatur. Si enim natura eadem
 providentia in ossibus denudatis, quæ cor-
 pora solida, siccissima paucis venis, ar-
 teriisq; prædita, minúsq; partes nobi-
 les sunt, vitur, nõne multò magis in
 dura menynge, membrana nobilissima, in-
 numerisq; venis & arteriis prædita, præ-
 stabit?

In dura tamen menynge, quandiu integra
 fuerit, rariùs & vix (excepto, vbi contusio &
 affluxus humorum suprâ modum fuerit ma-
 gnus, & reuulsiones ab initio non adhibi-
 tæ) fit fungus ingens, & qui extrâ vulnus
 extuberare potest, quum propter spissitudi-
 nem suam difficulter in altum eleuetur du-
 ra menynx. Rupta verò dura menynge, pia
 mater,

mater, vnà cum adnata carne fungosa facillimè, si flatus aliquis subter membrana collectus fuerit, in altum eleuatur, vt etiam extra vulnus protuberet. Clarissimus atque doctissimus vir D. D. IACOBVS AVBERTVS Vindo piæ memoriæ, Medicus apud Lausannenses longè celeberrimus, fautor meus charissimus, fungum fieri vult ruptâ dura menynge, & tenui in altum eleuatâ, substantiâque cerebri repleta. Sed hæc cum distinctione intelligenda esse, nec simpliciter de omnibus fungis intelligi posse, planè mihi persuasum habeo. Sciunt enim Practici, & in primis ij, qui aliquam in Anatomicis cognitionem habent, cerebri substantiam etiamsi mollis & laxa sit, non facilè tamen ita dissolui, aut relaxari posse, vt fungum huncce implere possit. Vellem itaque fungum cerebri ità distinguere, nimirum in simplicem & compositum. Simplicem voco, qui (vti dixi) pro conseruatione membranarum aut ipsius cerebri summo naturæ beneficio, atque prouidentia, procreatur. Compositum verò, qui aut maximam contusionem, inflammationem, & intempestiuum humorum affluxum, aut simile aliquod symptoma adiunctum habet. In simplici fungo prætereà cerebrum suo loco non mouetur, fitque fungus ex adnata carne spiritûque aëreo, qui membranas, ipsâmq; adnatam carnem in altum eleuat. In composito autem, vbi propter inflammationem & colluuiem

Lib. de signis morbor. c. 17.

adfluentium humorum, cerebrum circa vulnus veluti corruptum, & in pus conuersum est, membranæ ipsæ in altum eleuatæ, etiam substantiâ cerebri liquefactâ, & dissolutâ, impleri possunt: sũntque eiusmodi fungi periculosissimi, & vt plurimum lethales. Ideoque horum solummodò mentionem fecit author modò citatus. Reliquos verò, quia non vsque adeò periculosi, faciliusque curantur, propter breuitatem (quam in isto libello studiosè obseruauit) omisit. Hoc quoque modo, (meo quidem iudicio) locus in Paræo de fœtore fungi intelligendus est. Simplex enim fungus in capite, (vt ego sæpius expertus sum) minimè fœtet, nec vsque adeò, (vt Bruno & Theodoricus testantur) dolet. Quod si acciderit putrefactio aut corruptio aliqua, tunc vt fœtor quoque superueniat, necesse est. Præterea fungi eiusmodi ex humoribus semiputridis ad instar fungorum arborum, originem atque ortum habere, rectè docent, Paræus & alij. Ioh. Andr. à Cruce, In fungis duræ menyngis motum naturalem deperdi scriptum reliquit, quam opinionem esse ababsurdam, aliquis existimare posset. Non enim deperditur motus, sed tegitur atque absconditur propter adnatam carnem: sed author hic excellens de eo loquitur fungo, vbi mors est in propinquo, vti ex textu illius libri facilè colligere est. Hęc ego propterea scribo, ne aliquis opinionem horum doctorum virorum, & de Cheirurgia bene meritorum, ridiculosam esse existimet.

Cęte-

*Lib. 12. c.
19.*

*Cheirurgia lib. 1. c.
15.*

Cæterùm de curatione fungorum circa membranas cerebri nascentium, superfluum est hîc differere, cùm de ea in prima Centuria Obser. 15. egerim, ex qua reliqua facilè diiudicari ac percipi possunt. Hoc tantum addo, fungos ruptâ durâ menynge, difficilius curari, quàm illa illæsa: causa est in prôptu. Cùm enim dura menynx exquisitissimo sensu prædita sit, ac continuò moueatur, si disrupta aut fauciata fuerit, continuo quoq. affluunt humores, ex quibus incrementum fungi, nec non symptomata varia oriuntur. Quapropter & maiorem requirit diligentiam.

Ante omnia autem prospicere conuenit, vt summo studio humores illi qui fursùm ascendunt, deorsùm trahantur: deinde quoque, licet Galenus in carnis excrescentia acria præscribat medicamenta, hîc tamen minimè esse applicanda, multò minùs excisionem, quæ nouacula fit, tentandam, imò neque ligatura, quæ filo serico fieri solet, tuta est, propter grauia, quæ indè sequi solent symptomata. Vbi tamen putredo aliqua circa membranam adfuerit, tutò Ægyptiacum applicant Practici, in exigua tamen quantitate, & quidem cum cautione, de qua re consule tractatum meum de Gangræna Germanicè editum, cap. 28.

*Method.
med. lib. 5.*

*Ioh. Andr.
à Cruce
lib. j. cap.
15.*

Hactenùs ostendimus fungos circa cerebri membranas raro malignos esse: fungorum vero in infimis corporis partibus nascentium alia est ratio: humor enim, qui adfluit, non semper benignus est, sed vt plu-

rimùm crassus, fæculentus & malignus ex quo corpus non molle, sed plùs aut minùs durum, prout humor, qui adfluit, plùs aut minùs crassus fuerit, procreatur. Nihilominùs tamen, possumus eiusmodi excrecentias, cùm propter formam, tùm etiam, quòd in momento, vt ita dicam excrecant, fungos appellare, cum illa tamen distinctione, vt alios simpliciter fungos, alios verò, qui duritiem aut malignitatem aliquam adiunctam habent, fungos malignos, aut etiam cancrofos appellemus. Exempli gratia: Ante annos aliquot quinquagenarius quidam mihi adductus fuit, cui membrum virile intantam molem excreuerat, vt magnitudinem capitis infantuli, recens nati, ferè adæquaret. Hæc excrecentia dura erat, & hinc inde vlceribus putridis scauens. Et hanc excrecentiam fungum cancrosum appello: fungum à forma: cancrosum verò ab essentia, Durus enim, liuidus, putridus malignusque erat. In articulorum quoque vlceribus, nonnunquàm substantia quædam modò ex albedine rubescens, modò liuescens, subito excrecit, & fluxum illum serosi humoris, quem Germanici nostri Cheirurgi, ineptissimo vocabulo *Das Gliduvasser* appellant, vt plurimùm præcedere, vel etiam comitari solet. Nec solummodò in vlceribus articulorum, verùm & in aliis circa nervos huiusmodi fungos excreuisse, cùm aliàs, tum etiam ante menses quatuor Paterniaci in quadam puella cacochymica observavi. Propter doloris enim vehementiam,

sanguis

Observatio.

*Gliduvasser
Vide Epist.
Langi in
prologio*

sanguis & humores adfluunt, qui diuersa progignunt symptomata, veluti inflammationes, phlegmones, herpes, fluxum serosi humoris, & eiusmodi quamplurima. Quod si sanguis benignus, laudabilis & flatulentus admixto humore pituitoso affluerit, ac natura quæ nunquam ociosa est, ex eo aliquid procreare tentauerit, sequitur extuberantia excrecentiæque carnis fungosæ. Ante dies quatuordecim Augustâ Vindelicor. rediens, Lauingæ à viris Clarissimis & Doctissimis Dn. Dn. Bartholomeo Mercklino atque Valentino Rulando, Medicinæ Doctoribus, Iuuenis quidam, mihi visendus exhibitus fuit, cuius lingua in fungum cancerosum, qui totum ferè os implebat, excreta fuit. Cuius historiam integram, qualisnam tandem exitus erit, à Clarissimo Domino D. Rulando expecto.

De Vuula scirrhusa, & veluti in fungum excreta, exemplum in Obseruatione 19. huius Centuriæ vidisti. Ficus ille cancerosus, cuius in prima Centur. Obser. 1. fit mentio, nonne poterit quoque fungus cancerosus appellari? Itaque subiectum fungi non solum cerebrum, eiusque membranas, sed & omnes corporis partes statuendas esse existimo: imò & circà anum aliquando fungos nasci, testatur Parçus lib. 12. cap. 24. Differunt tamen primò, quoad causas: circà membranas enim cerebri vt plurimum ex sanguine benigno, aëreo, & minimè maligno generantur, in reliquis verò corporis partibus, vnà cum sanguine faculenta quædam,

*Fungus
lingua.*

imò & aliquando maligna, corruptaque materia adfluit. Differunt deinde in curatione: circa membranas enim cerebri præter vniuersalia, blandè, vti antea quoque monui, fungus tractandus est, nec vilo modo medicamentum acre est applicandum, quemadmodum ex Observat. 14. & 15. Centur. 1. colligere licet. In reliquis verò corporis partibus, præter medicamenta acra & insigniter exiccantia, imò & erodentia, aliquando quoque & ferrum & igne applicari posse, sæpissimè cum fructu expertus sum. In vulnerum articulorum fungis, quia simul dolor ingens & adfluxus humorum adest, victus tenuis instituendus est, corpus à pravis humoribus expurgandum, vena quinetiam incidenda. Ab initio Topica, quæ dolorem leniunt sunt applicanda, veluti sequens linimentum.

℞ ceræ nouæ &

*Linimen-
tum.*

gummi elemi an. ℥iiij.

therebinth. lotæ ℥ij.

ol. rosac.

butyri recent. non saliti

ol. de vitel. ouor. &

amygdalar. dulc. an. ℥vj. Liquefiât omnia lento igne, & colentur. Deinde admisce croci ℥j.

vitellum vnius oui. Misceatur & cum filamentis imponatur. Postea applicetur sequens Cataplasma.

*Cataplas-
ma.*

℞ micæ panis albi ℔. s.

farinæ sem. cydonior. &

scenogræci an. ℥iiij. Coquantur cum lacte vaccino vsque ad consistentiam cataplasmatismatis,

smatis, tùm admisce, butyri recent.
& olei rofac.

de vitell. ouor. an. ℥j.

axung. hum. ℥. s.

croci ℥. s.

vitellos ouor. N. 2. Misce, fiat **Cataplasma**, quod calidè vnà cum præscripto vnguento tantisper applicetur, donec dolor omnino fuerit sedatus, neque interim circà fungum, multùm laborandum est: quod enim magis vrget, ei imprimis & ante omnia incumbere conuenit. Sedato dolore, & humorum affluxu, sequēs puluis fungo inspergendus est.

℞ pulu. præcipitati,

alum. vsti an. ℥. s.

vitrioli vsti ℥j.

pulu. radic. angelicæ

aristoloch. rotund.

cariophyllatæ &

Iridis Florentinæ an. ℥j. Misce.

Posteà applicetur sequens **cataplasma**.

℞ farinæ fabar. &

lupinor. an. ℥iiij.

fimi Columbini ℥ij.

pulu. rofar. rubear.

myrtillor.

balauftior.

absynth. an. ℥ij.

salis marini ℥ij. cum lixiuio fiat **Cataplasma**.

Si autem durities aliqua aut malignitas, quæ naturam caneri sapiat, adfuerit, tunc reuera leuioribus hisce medicamentis non cedit fun-

Puluis.

Cataplasma.

gus, acriorib. verò veluti arsenico, oleo vitrioli,
 & huiusmodi septicis, & escharoticis adhibitis,
 magis irritatur malum, nec nō malignius effi-
 citur: quemadmodū Obseru. J. Cētur. I. monui.
 Quid igitur inquires, faciendū? Profectò quo-
 modo huiusmodi excrescētię nisi radicitus ex-
 cindantur, tutò, citò, & absque magno dolore,
 & periculo curari possint, nondū video, quūm,
 quemadmodum dixi ab, acrioribus medicamē-
 tis irritentur, & maiorē malignitatē acquirant.
 Hoc modo ante annos decem fungum illū ma-
 lignum ac deploratū in membro virili existen-
 tē, cuius antea memini, feliciter extirpavi, mi-
 serūmq; sanitati restitui, qui & ad hunc vsque
 diem in agro Lausannensi viuit, vti fusius in
 Centuria declarabo. Sed prospicere conuenit,
 vt huiusmodi fungi radicitus extirpētur, alio-
 quin mox repullulant & recrescunt, quēadmo-
 dum & in puella ista, cuius Exc. T. in prima sua
 historia mētionem fecit, fungum repullulasse,
 intelligo, quod & mihi aliquando obseruare
 contigit. Clarissimus ac doctissimus D. D.
 MARTINVS CHMIELECIVS Medicus Basi-
 liensis celeberrimus, amicus meus plurimūm
 honorandus, cum hisce diebus Exc. T. literas
 vidisset, casum sequentem annotatione di-
 gnum, mihi communicauit. Virgo quædam
 ex honesta familia Basiliensi oriunda, vl-
 cere in tibiâ dextrâ, longo temporis spa-
 cio laborabat. Ex hoc autem vlcere caro
 fungosa adeò copiosē erumpebat, vt Chei-
 rurgi aliquando illam pondere duarum
 librarum abscinderent. Quamuis autem
 funditus

*Observa-
tio singu-
laris.*

funditus abscissa esse videbatur, mox tamen cum impetu denuò proueniebat. Tandem tibia ex consilio Medicorum ad poplitum abscissa fuit. Post operationem abrafa carne, & osse denudato, foramen rotundum, ad medullam vsque penetrans in ipso repertum fuit. Operatio ad votum successit: sed quum cuncti ipsam euasisse sibi persuaderent, ecce fungosa caro, quæ denuò ex trūco ipso propullulat, easdemque ferè, vt antea, molestias parit: ad annos tamen circiter duos post operationem factam superuixit, & quidem utcunque commodè, adeò vt in publicum prodire, atque exercitiis sacris interesse posset. Ex his, quæ dixi, apparet, mirum non esse, si fungi oris in primis magni, incurabiles sint, quum neque radicitus excindi, neque causticis exedi possint.

Atque hæc sunt, vir Amplissime, quæ in presens de fungis carnosus ad te scribere potui. Addam & aliquid de fungis osseis, quæ etiam si omnium partium corporis sint durissima, & paucas venas, ac arterias, easque exiguas habeant, nihilominus tamen interdum ad instar fungorum excrescere, sequentibus exemplis confirmare tentabo.

Anno 1600. prope Lausannam ad Nobilem virum D. in Goumains vocatus, & per dies aliquot, propter aduersam valetudinem filia suæ ibi commoratus, interea temporis ad puellam quandam subditorum suorum 20. circiter annorum ætatis suæ, accersitus fui, eamque vnà cum genere & virtute nobilissima Domina in Goumains inuisi. Laborabat autem puella ista,

*De fungis
osseis ob-
seruat. I*

grauissimo in tibia sinistra affectu: pars enim illa subter genu adæquabat ferè crassitiem illam, quam crus in coxa habere debebat, quum tamen à genu vsque ad coxam potiùs extenuatum esset crus, In finitis præterea vlceribus putridis, malignis & dolorosis tibia hæc scatebat. Sed quod admiratione non vacat, in omnibus vlceribus os ipsum denudatum, spongiosum, cariosum, & non nisi cute tectum cernebatur, adeò vt vlcera in ipsum penetrarēt, & manifestè appareret ossa tibiæ in istam crassitiē spongiosam excreuisse. Causa huius excrecentiæ hæc fuerat. Laborauerat puella hæc ante aliquot annos morbo acuto, eoque grauissimo, ex quo nature potiùs, quàm medicamentorum beneficio (nullus enim adhibitus fuit Medicus Rationalis) vt videbatur, curata, de dolore quodam grauatiuo in tibia conqueri cœpit, paulatimque natura sese in tibiam hancce exonerauit. Ab initio tamē actionem motumque eius non aboleuerat. Tandem verò cum in diuersis locis vlcera sese prodidissent, lecto affixa fuit, nec ampliùs incedere potuit. Volebant autem parentes, vt tibiam amputarem, sed cùm maximam virium imbecillitatem, ac summam totius corporis extenuationem, (tibia tamen hæc excepta) adesse animaduertentem, ipsamque in ipsa operatione interituram vererer, operationem hanc aggredi ausus minimè fui. Itaque post paucos dies naturæ satisfecit.

*De fungis
ossis obser
uatio 2.*

Habeo in Museo meo, ossa tibiæ, hominis mediocris staturæ, quæ apud nos in vetusto monumento reperta fuere: sunt illa duplo crassiora

fiora, quàm naturaliter esse deberent, ità vt omninò appareat, illa præter naturæ ordinem excreuisse. Præterea materia quædam ossea, per laminas disposita, illis adheret, nõ aliter, ac tartarum doliis adherere videmus, sunt tamen ossa hæc satis dura ac solida. Habeo & aliud os tibiæ, similiter duplo crassius, quàm naturaliter esse deberet, sed id spõgiosum fungosumq; est.


Ante aliquot tempus à nobili viro D. IACOBO de BRVEL os è pede bouis mihi communicatũ fuit. Est id durũ, nec vlllo modo malè affectũ, præterquam quòd à latere eius ossis fungus osseus magnitudine oui anatis excreuerit. Fungus ille ad instar spongiæ porosus est, durus tamen, infinitisque hinc inde ductibus, in quos venulas ad eius nutritionem insertas fuisse apparet, præditus.

Hæc Basileã inter multas occupationes raptim ad te scribo. Quapropter si Excell. T. expectationi minùs plenè satisfeci, vt me excusatum habeat, & defectum occupationibus potiùs meis adscribere velit, etiam atque etiam rogo. Vale vir Amplissime, & me quod facis, ama. Basileæ 17. Iunij, anno 1610.

K

Observat.

3.




OBSERVATIO XXXVII.

Ex abscessu musculorum abdominis interiorum rupto, mors sequuta est.

ANno 1588. Honeſta quędã matrona Lauſanneniſis, cùm de maximo ac pungitivo ventriculi dolore cõquereretur, & me aduocãdum curaffet, duritiem è regione ventriculi, ad lat^{us} lineę albę, hepar verſus, inter musculos abdominis deprehēdi, quę tamen nõniſi palpatione manus perſentiebatur, nec quicquã exterius apparebat. Febris quoq; continua, dolor ingēs, pungens & pulſatorius aderat. Ex quibus (licet in cute licet nulla appareret intemperies) mihi facilè colligere licuit, absceſſũ inter peritonæũ & abdominis musculos ſubeſſe. Quũ verò morbum periculo non vacare, & immaturam (niſi musculis abdominis incifis) mortem expectãdam eſſe, probè cognouiſſẽ, author fui, vt Clariffimum atque doctiſſimũ virum D. Doctore IACOBVM AVBERTVM Vindonem, tũc tẽporis Medicum apud Lauſanneniſes longè celeberrimum, accerſerent, ac ſuo quoque vterentur cõſilio. Quo accerſito, mecũ planè ſẽſit, nimirũ Phlegmonem ſubeſſe, quæ niſi maturè incidetur, aut de vita actum eſſe, aut egram ipſam morbum inde diuturnum ac curatu difficiliſſimam contracturam. Verum cùm adſtantibus hæc ſignificarem, attoniti erant: quia enim in cute nulla nec intemperies, nec tumor appareret, ac de interno absceſſu ipſis perſuaderi non

non

non posset, consilium nostrum de apertione & incisione musculorum omnes planè respuerunt, nihilominùs tamen petierunt, vt si qua ratione anodynis exterius adhibitis, dolor leniri, & internis sumptis medicamentis, febris nausea & eructationes, aliquo modo mitigari possent, tentaremus. Nos (de præsentis tamen periculo factâ priùs prognosticatione) omnia, quæ necessitas requirebat, & ea quidem, quâ fieri potuit diligentia, administrauimus. Post dies aliquot, cum circà mediam noctem dolor protinùs remisisset, liberatam prorsùs se esse, egra sibi persuadebat. Mox septimâ horâ matutinâ vix domum ingressi, ecce præ gaudio maritus nobis occurrit, significans, vxorem suam dolore penitùs liberatam, Id quod & re ipsa verum esse, illicò cõperimus. Dolor enim ferè nullus aderat, tensio quoque, eructationes, & nausea cessauerant. Duritiem manu abdomen contrectâdo, nullam ferè persentire potuimus, febris quoque aliquo modo imminuta, & pulsus laudabilior erat. Ex quibus Abscessum parte interna ruptum, materiâque in vacuum ventris delapsam esse, facilè nobis colligere licuit, quò etiam maritum de euentu morbi certiore faceremus. Paucos post dies, denuò in infimo ventre dolore exorto, febris ardens simul & continua superuenit. Tâdem lipothimiâ, quin etiam sudore frigido correpta ægra, naturæ satisfaciendo, placidè piéque ex hac vita decessit. Historiam hanc prolixius aliquo modo recensere placuit, vt Tyrones, quid in huiusmodi casibus agendum prædicendûmque sit, intelligât & ediscant.




OBSERVATIO XXXVIII.

Quidam abscessu desperato musculorum abdominis laborans, magna cum admiratione omnium curatus fuit.

ANno 1597. Sabaudus quidam quadragenarius, & robustus, cum dolore maximo dextri lateris ad finem costarum notharum, laboraret, Lausannam venit, in eoque una cum Clarissimo ac doctissimo viro DOM. ALBERTO ROSCIO apud Lausannenses Doctore Medico longe celeberrimo, in consilium aduocavit. Inuenientes eum, nullum neque tumorem, neque interperiem, verum duritiem inter musculos in profundo, nobis obseruare licuit. Quare dolor propter compressionem & extensionem peritonaei erat ingens, cum febricula adiuncta. Corpore leniter purgato, fomentationes, cataplasmata, inunctiones, discutiientia, resoluentia & anodyna per dies aliquot applicuimus, sed absque fructu. Hinc spem aliquam concepimus materiam in halitum resolui posse, quemadmodum mihi ipsi olim acciderat. A Domino itaque ROSCIO decoctum ligni guaiaci, & sarsae parillae, additis herbis hepar respicientibus, prescriptum, & per dies aliquot exhibitum fuit. Verum tantum abfuit, ut materia dissipata fuerit, quin potius intra paucos dies circa regionem hepatis inter musculos abdominis & peritonaeum defluerit, atque

atque collecta sit, vt ratione doloris punctorij & pulsatorij locus, in quo incisio facienda, nobis satis innotuerit. Quamobrem etsi extrinsecus in cute nihil appareret, ne tamen materia peritonæam penetraret, atque in vacuum ventris deflueret, communi consensu deliberauimus, musculos maturè incidendos esse. Id quod etiam presente prædicto Domino ROSCIO, CLAUDIO MARIONE, aliisque, feliciter à me factum fuit. Quo facto, pus copiosè effluxit, neque diu post, febris, dolor, lypothimia paulatim cessarunt. Vlcus, propter puris copiam, quæ effluebat, per menses aliquot apertum retinere coacti fuimus. Interim optimâ victus ratione obseruata, & corpore per intervalla probè expurgato, decoctis idem sudoriferis, additis iis, quæ hepar respiciunt, partésque nobiles roborant, vsus, tandem singulari DEI beneficio optimè conualuit.



OBSERVATIO XXXIX.

Abscessu ingenti è regione Hepatis adaperto, subito mors sequuta est.

ANno 1592. Quadragenarius quidam in monte Coronato, pago propè Hildena per annos aliquot obstructione viscerû, & cachexiâ laborans, tandè dolore diuturno ac magno, è regione Hepatis correptus fuit. Ego tandè per literas Reuerendi ac doctissimi viri D.

K iij

FRIDERICI COELOCOMI pię memorię, eius loci verbi diuini ministri fidelissimi, amici mei plurimum honorandi, ad egrum accersit, in dextro hypochondrio abscessum immensę magnitudinis deprehēdi: Cutis enim totius ferme lateris ab Ilij osse ad costas veras, lineamq; albam, & spinam dorsi, puris plena eleuata, & extensa erat. Dolor continuus & magnus, lipothimię itē, nausea, appetitus, viriūq; prostratio aderant. Quapropter etsi æger & adstantes amici vt abscessum aperirem, efflagitarent, propter maximum tamen, ac instans mortis periculum, neve nomen imperiti Chirurgi, mihi adhuc iuueni, comparare viderer, manum adhibere recusavi, & sequenti die domum reuersus fui. Post mei abitum, cum Barbitonfor in cōsiliū adhibitus, vomicā aperuisset, maxima puris copia impetuosē effluxit. Inde etsi dolor aliquo modo imminutus esset, intrā biduum tamen æger animam DEO reddidit.

ADMONITIO.


CAueāt itaq; sibi iuniores Chirurgi, ne in magnis abscessib. materiā è vestigio, & de repēte, sed sēsīm & per vices euacuēt. Etsi enim apertio magnorū abscessuum circā partes nobiles in primis sit periculosa, videmus tamen, inquit Galenus, & in aliis partibus, quando aliquis magnus tumor suppuratu, periculosa esse vniuersā euacuationē, cum è vestigio deficiat anima, & vires debilitētur, & postea debilitas ista remediū non habeat. Vidētur enim in his quidam propter magnā distantia corporū & puris acritu-

Commēt.

27. lib. 6.

aph. Hipp.

acritudinem ora quorundam vasorum arterio-
 forum esse adaperata, quæ prius veluti quoddã
 operculum pus continebant: quo vniuersim e-
 uacuato, multi spiritus vnà cum eo exeunt, at-
 que excernuntur: vndè periclitantur ægri.



OBSERVATIO XL.

De prodigiosa puellæ Coloniensis inedia,

Ad

Virum nobilem D. PAVLVM LENTVLVM

Inclytæ Reipub. Bernensis ciuem &

Archiatrum celeberrimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

EA, quæ in rerum natura inter abstrusa &
 occulta occurrunt, Vir Genere, doctrinâ &
 virtute clarissime, nihil est quod me magis in
 admirationem rapiat, quàm admiranda & pro-
 digiosa APOLLONIAESCHREIERAE inedia.
 Quî enim corpus humanum naturaliter sine
 cibo & potu ad annos aliquot, viuere possit, in-
 genium humanum planè latere opinor. Noluit
 enim DEVS nobis propter peccatum facilem
 ad ea aditum, quæ abditissima sunt, patere, sed
 nonnulla rimanda & inuestiganda reliquit
 viris ingeniosissimis, vt haberent, in quo sese
 exercerent. Vtinam igitur tua Excell. amico-
 rum tandem precibus obtēperare, & Historiã


K iiij

illam euulgare diutius non cunctetur. Neq; enim dubito, quin pro ingenij tui acumine, huius rei causas aliquas naturales sis in medium allaturus. Meum autem huius admirandæ inediae exemplum, quod videre cupis, tale est.

Anno Domini M.D.LXXXV. puella quatuordecim aut circiter annos nata, è Ducatu Iuliacēsi, Coloniam adducta fuit, vbi in diuersorio, cui equus albus pro insigni est in lata platea, vt singulare quidpiam, conspiciendum exhibita fuit. Illam autem sine vlllo cibo & potu, per annos tres vixisse aiebant parentes, idque testimoniis authenticis, & fide dignis confirmabant. Diligenter ego illam perlustravi, & singula obseruavi. Facie erat tristi, & melancholica, toto corpore carnosafatis (ventrem excipio, qui ad spinam dorsi planè depresso vergebat) Hepar reliquaque viscera ventrem manu tractando, quasi in scirrhos concreta essent, percipiebantur: excrementa nulla eiiciebat; à cibo adeò abhorrebat vt cum quidam ex illis, qui ad eam visendam aduenerant, sacchari parùm clam in os immisisset, illa protinus in syncopen incideret. Sed quod maximè mirandū est, ambulabat illa, imò cū aliis puellis ludebat, saltabat, & negotia puerilia perficiebat, eratq. corp^o suo calore naturali præditū. Respirandi, loquēdi, vociferandi nulla erat difficultas. Hęc ego meis oculis vidi, & aurib. percepi.

De origine huius inediae interrogati parentes, referebant illā ante annos septem ex morbo grauissimo releuatam, paulatim cibi fastidio correptam fuisse, ita vt aliquando triū aut quatuor

quatuor dierum spacio nihil cibi gustarit, deinde sumpto parùm lactis recens emulsi, denuò per dies sex aut septem à cibo & potu abstinuisse. Cùmque in ea miseria quatuor annos integros vixisset, à cibo & potu, omninò postea abhorruisse, & tribus exinde annis, neque cibum, neque potum gustasse. Mansit illa Coloniae per menses aliquot, & à multis magna cum admiratione conspecta fuit. Indè postea aliò deducta est, & qualis tandem illius exitus fuerit, ignoro. Hisce valeat Excell. T. vnà cum cõiuge honestissima & liberis dulcissimis, quos vnà mecum vxor mea peramanter salutat. Paterniaco Auenticor. die xxv. Februarij. Anno M. D. CIIII.



OBSERVATIO XLI.

*Puellus non sustinens panem nominari,
nedùm videre.*


Idem ad eundem

Virum Nobilem D. D. PAVLVM LENTVLVM.

Quia te iam dudùm, vir doctrinâ atque virtute clarissime, animum ad conscribendum & diuulgandum secundam partem Historiæ, abstrusi & occulti illius DE IMIRACULI DE INEDIA, APOLLONIÆ SCHREIERÆ addidisse sciam, venit in mentē casus, speculationibus tuis non indignus, quem tibi non cõmunicare non potui.

Puellum quinque aut sex annos natum Vverdini ad Rorē fluuiũ, cum doctissimo REINERO

SOLIMANDRO, Illustriss. Principis Iuliacensium,
 Cluensium & Mōtensium, Medico ordinario,
 & COSMA SLOTANO, eiusdem Principis Chi-
 rurgo longè peritissimo, aliquoties inuisi, qui
 ex graui morbo liberatus, in aliud incidit sym-
 ptoma, vt quotiescunque panem videret, imò
 etiam intelligeret nominari, in terrâ, mortuus
 quasi prosternebatur, omni loquela, visu, audi-
 tu & intellectu priuatus. Tâdem verò quasi ex
 sopore expergefactus, surrexit, & puerilia sua
 negotia, vt antea, peragebat. Ego cùm hunc
 puerum inuiserem, iam antea vltra tres annos
 in hac miseria vixerat, qualis autem exitus tâ-
 dem fuerit, ignoro.



OBSERVATIO XLII.

De inedia quadam specie in Iuvene.

Idem ad

*Eundem virum nobilem D. D. PAU-
 LVM LENTVLVM.*

NOn ita pridè, vir Amplissime, meas cùm
 excuterem schedas, incidit in manus ca-
 sus quidam, quem tibi aliàs corâ narraui, quin-
 etiam scriptis communicare promisi. Et quia
 ipse à materia de inedia, quam præ manib. ha-
 bes, non vsque adeò alienus est, ipsius lectio
 forsàn non ingrata tibi erit. sic autem se habet.


Anno 1590. Hildenæ in patria degens & pra-
 xim exercens, in villâ proximam, Schaseippen,
 ad puellâ quandam 18. annor. ætatis, & cancro
 ocul-

occul-

oculto in sinistra mamma laborantem, vocatus fui. Interim autem, dum curationem hanc (quæ etsi satis longa, ad optatum tamen finem peruenit) absoluerem, familiariter cognoui fratrem huius puellæ, iuuenem 20. circiter annorum, qui anno (ni fallor) 1589. ex morbo gravissimo atque diuturno, solo DEI & naturæ beneficio, citrà vllum medicamentorum vsum, ita releuatus fuit, vt hinc indè deambulare posset, à cibo tamen & potu per dies aliquot adeò abhorruit, vt vix odorem ipsius sufferre, multò minùs quicquam gustare posset. Quum verò multa & varia esculenta ipsi offerrentur, oua tandem eaque durissimè cocta, cerevisiamque vulgarem sibi elegit, atque appetiuit. Quibus spacio sex mensium pro suo alimento sic nutritus, illa quoque paulatim fastidire ac auersari cœpit, vt tandem omninò respueret. Contrà verò iuglandes cum pauxillo panis tam gratus ipsi cibus fuêre, vt nullus gratissimus, nec quicquam aliud per multos menses assumere potuit. Interim etsi debilis esset, hinc indè nihilominùs perambulabat quotidie, & tandem etiam ad pristinum statum naturalem rediit, vt omnis generis cibos, vt antea, appeteret, negotia quinetiam sua rusticana probè peragere posset.

Cæterùm opinionem eorum, qui cochleas terrestres tempore hyemali, sine alimento vivere posse, contendunt, probare non possum. Hac enim hyeme, cum aliquando vnà cum Doctissimis viris D. MICHAELE DORINGIO Medicinæ Doctore, & EMMANVELE VRSTISSIO, Artium liberal. Magistro, conuictoribus

meis, testas aperiremus, cochleâque inspicere-
mus, ipsa ocularis inspectio contrarium nos e-
docuit. Sed eas paulò diligentius examinandi,
forsàn posthàc dabitur ocium & occasio: tum
quicquid observauero, libèter tibi communi-
cabo. Tu interim vale vir Amplissime, vnà cū
nobilissima tua ERLACHIA, quam à me, & v-
xore mea salutatam velim. Raptim Paterniaci
Auenticor. 10. Martij. 1608.




OBSERVATIO XLIII.

*Adolescens incognito & abdito morbo diu labo-
rans, postquam à Necromantico potiunculam
sumpsisset, aciculas, cuspides cultellorum,
clauiculos, & id genus similia tandem
euomuit, & conualuit.*

ADolefcens in pago quodã prope urbem
Metim lōgo & intricato tenebatur mor-
bo, ad quem Medicorum consilia parum facere
videbantur. Tandem Parentes Necromanticū
accedunt, cuius consilio, quū Vomitorium
medicamentum hausisset, aciculas, clauiculos,
cuspides cultellorum, aliâque ferramenta pluri-
ma eiecit, deinde breui conualuit. Ego cū
huius Adolescentis parenti fractam tibiã cum
Magistro IOANNE BARTHERO Metensi Chi-
rurgo, curarem, ea, quæ sepius vomitu eiecerat,
non sine admiratione inspexi.

OBSER.



OBSERVATIO XLIV.

*Inciso cadauere, quæ notatu digna in ipso
reperita fuere.*

PVella quædam Coloniensis ex parentibus
fanis & benè temperatis nata, circà vnde-
cimum annum ætatis, primò in febrim Ephe-
meram, mox in Hecticam incidit. Hinc cùm
spacio trium mensium doloribus totius cor-
poris, ariditate linguæ, tussiculâ, deglutiendi,
respirandi atque loquendi difficultate, sudori-
bus frequentibus, præcipuè noctu, imò & dor-
miendo vexata esset, tãdem nona Augusti 1595.
planè extenuata, obiit. Ego accitus, vt coram
clarissimo ac Doctiss. viro D. IOH. SLOTANO
Medico celeberrimo, ac RHENERO SLOTA-
NO Pharmacopola exercitatissimo cadauer a-
perirem, sequentia obseruauimus.

1. Intestina vermibus plurimis infarcta con-
spiciebantur.
2. Mesenterium scirrhosum, & hinc indè ma-
teriâ gypseâ, vti quoque circum circà venam
portam refertum fuerat. Hinc chylus ad he-
par permeare, ac distribui non potuit.
3. Hepar in diuersis locis tàm in parte sua ca-
ua, quàm gibba, steatomatibus scatebat.
4. Hepar mediante materiâ gypseâ tàm tena-
citer diaphragmati adnatum erat, vix vt a-
uelli posset. Hinc anhelitus difficultas, &
tussicula.

5. Circumcirca venam cauam tam ramum ascendentem, quam descendentem moles materiae huius gypseae, ad magnitudinem pugni, tenaciter adhaerebat, ramosque comprimebat. Hinc extenuatio corporis, sanguis enim per corpus pro sui nutritione distribui non potuit.

6. Substantia lienis materia hac gypseae undique scatebat, uti ex sequenti figura apparet, in qua splen per medium discissus, & apertus conspicitur.

7. Thoracis vacuum aqua limpida, & nonnihil flavescente, plenum visebatur.


8. Pulmonis substantia materia purulenta imbuta, uti quoque steatomatis nucis vel castaneae magnitudinem excedentibus, hinc inde referta, apparebat.

9. Circa exortum arteriae asperae ex pulmonis substantia, mola steatomatum carne permixta, cui magnitudinem excedens, inuenta est, quae tam asperae arteriae, quam oesophago adhaerebat. Hinc anhelitus, vocis, & deglutiendi difficultas.

Figura



Figura Splenis per medium discissi, & aperti.





OBSERVATIO XLV.

*Inciso cadauere Hepar & Splen excessiua
magnitudinis reperta.*

PAgana quædam iuxtà Lausannam habitans, iam pridem morbo detenta, sibi persuadebat, foetum mortuum post partum alterius (quàm post triduum mortuus.) per menses quatuordecim in utero remansisse. Id verò, quod ipsam in hac opinione falsa confirmauerat, erat in latere sinistro, durities manifesta, oblonga, ac ex inferiori parte rotunda, caput infantis repræsentans, quæ ad ilia vsque sese extendebat, comprehendens simul regionem vmbilici, vnà cù lateris dextri costis notis. Hoc itaque cadauere præsentè D. IACOBO TSCHARNERO Patricio Bernensi, & D. CLAUDIO MARIONE apud Lausannenses, Pharmacopeo peritissimo, inciso, tantæ magnitudinis hepar inuenimus, vt lobus stomachum versus sub costis sinistri lateris spurias transgrederetur. Splen quoque immensæ magnitudinis durus & in inferiori parte versus ilium rotundus sanguine adusto plenus, hepatis lobo adnatus, conspiciebatur. Venæ eius, cum arteriis mediocris pollicis magnitudinem excedebant: Vas verò breue exiguum, & obstructum erat.

OBSER:




OBSERVATIO XLVI.

*Ex applicatione medicamentorum calidorum
circa os ventriculi inflammatio Hepa-
tis, & mortis periculum
sequuta.*

Hominē Colonię intemperie frigida ven-
triculi, & calida intēperie Hepatis labo-
rātem cognoui, cui ab Empirico quodam plu-
rima tam Emplastra quàm Vnguenta, eaq; præ-
calida, veluti è pipere, cardamomo, oleo caryo-
phill. cinamomi, & similibus, præscripta, atque
cartilagini Xyphoidi admota fuerunt, inde in-
flammatione hepatis correptus, vix ab eadem
liberari potuit. Tandem verò Dei beneficio,
ijs, quę hepar refrigerant & corroborāt, veluti
Iulapio ex aqua cichorij, endivię, agrimonię,
veronicę, cum syrupo de succo limonum, ace-
tosę, & vnguento santalino exteriùs applicato,
sanitati eum restitui.

Huius rei causam, si quis inuestigare atq; in-
dagare aueat; anatomiam hepatis diligēter in-
spiciat, necesse est: Caua .n. sui parte à dextra
in sinistram, vniuersam ferè anteriorem ven-
triculi regionem integit, ita vt medicamenta
calida, quę corroborandi gratia ventriculo fri-
gidiori admouentur, substātiā hepatis priùs
atingāt, antequàm ad ventriculum vsque per-
ueniant.

L



OBSERVATIO XLVII.

*Ex applicatione cucurbitularum ad
regionem Hepatis, inflamma-
tio sequuta.*

Galenus lib. 5. methodi med. & post eum
multi alij, in hæmorrhagia narium, cucur-
bitulas, regioni hepatis applicari suadēt. Quod
quidem absque periculo fieri non posse, sequens
Historia fidem facit.

Aulicus quidam Principis Iuliacensium, Clu-
vensium & Montens. maximâ hæmorrhagi-
narium laborās, Chirurgum quendā, alioquin
in arte bene versatum, in consilium adhibuit.
præter alia subsidia, ipsi quoque cucurbitula
magnas ad regionem hepatis applicuit. Sanguis
quidem substitit, sed inflammatio hepatis se-
quuta fuit. COSMAS SLOTANVS eiusdē Prin-
cipis Chirurgus longè præstantissimus accer-
situs, quum vires adhuc constare, observasset,
victus rationem tenuem ac refrigerantem in-
stituit. Et postquàm aluum clystere leniente
subduxisset, venam in brachio dextro incidit,
sanguinisque ad ℥vj extraxit. Deinde sequens
Iulapium exhibuit.

℞ aquar. buglos.
cichorei
rosarum an. ℥ij
syrupi granator. &

de rosis siccis an. ℥j.

Misce, fiat Iulapium pro duabus dosibus. Primum haustum statim à venę sectione, nimirum hora tertiâ pomeridianâ, alterum circâ mediam noctem exhibuit. Extrinsecus autem totum latus vsque in quartum diem, singulis diebus bis, oleis sequentibus inunxit.

℞ ol. rosarum &

myrtillor. an. ℥ij.

ol. absynth. ℥ss.

santali rubri, & subtilissimè

puluerisati ℥ij.

caphuræ ℥ss.

aceti rosar. parum. Misce,

fiat vnguentum.

Vnguentum

Iulapium quoque præscriptum bis in die, ad quartum aut quintum vsq; diem propinauit. Interim aluum per interualla clysterib. subduxit. Tandem syrupo de cichoreo cum rhabarbaro leniter corpore purgato, & optimâ victus ratione obseruatâ, conualuit.

In fluore itaque sanguinis, hepatis & lieni medicamenta frigidiuscula potius, quàm verò cucurbitulas, applicanda esse censeo, præcipuè in vehementissima hæmorrhagiâ, & ebullitione sanguinis. Quemadmodum enim frigida medicamenta condensant, constringunt, sanguinemque crassiorem, minusque fluidum reddunt, sic cucurbitulæ cum violentia, sanguinem quidem, humores & spiritus attrahunt, sicque hæmorrhagiam aliquando sistunt. Sed quia in maxima hæmorrhagia sanguis

L ij

Vide Colopho-
nem huius
naturae.

Lib. 5. a-
phoris. 23.

Iohan.
Heurnius
Paulus
Offredus.

efferuescit, subtilior factus, atque in venis, & v-
plurimum in ipso hepate in maximo est motu,
facillimè cucurbitulis hypochondriis affixis,
cum impetu ad hepar attrahitur. Idque ob no-
bilitatem visceris absq; periculo fieri nō posse,
certum est. Quæ enim mala ex vehementi san-
guinis ad hepar reflexu, oriri possunt, suo quo-
que loco, exemplo demonstrabimus. Rectè i-
taque monet Hippocrates in his, vnde sanguis
fluit, aut fluxurus est, frigidis medicamentis v-
tendum esse. Idque præsertim, vt ipsius inter-
pretes volunt, ad ea loca, vnde incipit motus,
veluti hepatis aut lieni. Sin verò obstructions
in huiusmodi visceribus adfuerint, tunc quæ in-
tense refrigerant, eis applicanda non sunt: ide-
nim esset materiam magis condensare atq; in-
cuneari.



OBSERVATIO XLVIII.

*De periculosa Hepatis inflam-
matione.*

DTOBIAS BANCQVETVS Senator Pa-
terniacensis Prudētissimus, quadragen-
arius, constitutione corporis gracilis, & natura
biliosus, quū anno 1603. ob exercitia nimis vio-
lenta, suprā modū incaluisset, inflāmatione He-
patis, cū dolore vētris correptus fuit. In cōsiliū
aduo-

aduocatus Pharmacopola quidam, malum ex flatibus, cruditatibusque in colo intestino collectis, ortum fuisse, arbitratus est. Quapropter Enemate exhibito, sacculum ex auena, floribus chamomil. meliloti, & seminibus carminatiuis calidè applicuit, calidè applicuit, calida quinetiam nonnulla ad flatus discutiendos per os exhibuit. Quibus sic applicatis & propinatis, cum dolor singulis momentis ingrauesceret, ego tadem aduocatus fui. Tùm ægrum febre acutâ, cū linguę ariditate, tussicula sicca, respirandi difficultate, cibi fastidio, siti maxima, nauscâ, vomitu inquietudinibusque laborantem offendi: duritiem quoque è regione hepatis, manifestâ persensit: inflammatio enim præcipuè gibbum hepatis occupabat.

In Curatione hoc modo procedēdi vsus fui. Victus rationem refrigerantem & humectantē præscripsi, fomentationibus & embrocationibus omnib. calidis, quibus antea vsus erat, neglectis: loco vini, decocto agrimoniz & veronicæ, admixto nonnihil syrupi de succo citrornum, & acetosę, vtendum iussi. Mox sequens Enema ordinaui.

℞ radicum & folior. althęz

maluar.

violar.

parietar.

agrimoniz &

veronicę an. M. j.

Flor. chamomil.

meliloti an. M. s.

fem. anisi

Enema.

L iij

fceniculi an. ℥j

fcenogræci &

lini an. ℥℥.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiae partis, in ℥j. colaturæ dissolue sacchari rubri ℥ij.

Electuar. diacathol. ℥j.

salis p.j.

vitellum oui

ol. violar. &

rosar. an. ℥j.

Misce, & fiat Enema.

Reiecto Enemate, quia vires adhuc constabant, venam in dextro brachio incidi, & ad ℥vij sanguinis extraxi. Exterius totum latus, sequenti linimento tepidè inunxi.

℞ ol. rosar. & violar.

cerati santalini an. ℥j

ol. absynth. ℥℥. Misce, fiat Linimentum.

Post duas horas à cœna, ad inflammationem internam arcendam, & somnum prouocandum nō nihil laudani ipsi exhibui, adeò vt ea nocte, & postera die vtcunque meliusculè se habere cœpisset: symptomata enim multum vti & vires aliquo modo refocillatæ fuerunt. Quapropter sequentem potiunculam ordinaui.

℞ herbar. agrimon.

veronicæ

cuscutæ

scabiosæ an. M. f.

sem. anisi

fceniculi an. ℥ij.

liquiritiæ rasæ ℥j.

Linimentum.

Potio purgans.

Co-

Coquantur in aqua, vt colatura redeat ad
 ℥iiij. In quibus dissolue Electuarij diacatholici
 ℥vj.

syr. rosar. solut. compos.

cum rha b. agar. & senna ℥j s.

Misce, fiat potio, quâ clemētē expurgat' fuit.

Viēt' rationē interim optimā obseruabat: pro
 potu ordinario vtebatur decocto agrimonix,
 & veronicæ, lacte amygdalino, & emulsionib'
 sem. frigidor. maj: oleis conuenientibus quoti-
 die inungebatur: clysteres quinetiam, urgente
 necessitate iniecit, corpūsque per interualla
 infusione rhabarbari, cum syr. ros. solut. com-
 pos. & puluere nostro laxatiuo expurgau-
 mus. Sic diuino fauore dolor, reliquaque sym-
 ptomata remiserunt. Tandem hepar, partēsque
 nobiles sequentibus tabellis corroborauimus.

℞ specier. diarrhod. Abbatis ℥ij

aromatici rosati

trochiscor. è rhabarb. an. ℥j.

sacchari dissoluti in decocto agrimonix


& veron. ℥iiij.

Tabella.

Misce, & fiant s. a. tabellæ. De quibus suman-
 tur ℥iiij. horis tribus ante prandium. His ple-
 nissimè conualuit, & per annos tres sanus & in-
 columis superuixit.

Sed quia à multis annis obstructionibus vi-
 scerū, præcipuè hepatis, laborauerat, & in viēt'
 ratione modū nō obseruaret, neq; per interual-
 la, vti ego suaserā, corpus expurgaret, paulatim
 in cachexiam incidit. Ingrauescente morbo in
 lecto pensili Bernam se ducendum curauit, vbi
 nō diū post animā DEO placidè piéq; reddidit.

L iiij



OBSERVATIO XLIX.

Scirrhi Lienis compendiosa curatio.

”
RVTGERVS STOCKHS Hildenæ, cùm à multis annis Scirrho Lienis grauitè laborasset, ac variorum celebrium Medicorum consilijs & medicamentis, frustrà tamen, vsus fuisset, me tandem anno 1589. quo in patriam reuers⁹, ad se vocauit. Tū in sinistro hypochondrio magnam duritiem, & tensionem deprehēdi, De dolore etiam grauius, tussiculâ siccâ, & difficultate anhelitus (propter compressionem diaphragmatis) conquerebatur. Hunc Diuino fauore feliciter & breui, his, quæ sequuntur medicamentis, sanitati restitui.

Institutâ itaque primò optimâ victus ratione, sequens Lenitiuum exhibui.

℞ herbar. agrimonix

veronicę

cuscutę

scabiosę

fumarię an. M. f.

fem. anisi &

fol. fenę mundator. an. z. ij.

Coquatur in aqua, vt colatura redeat ad ℥iij. In quibus dissolue, confectionis Hamech ℥iij. diacatholici ℥iij. Misce, fiat potio.

Purgato corpore sequēs prescripti Apozema.

℞ radic. fœniculi,

asparagi

lapa-

Potiuicula^o

lapatij acuti,
 scrophulariæ,
 polypod. querc.
 faniculæ foem. Fuchsiij,
 cortic. interior. radic. frangulæ an. ℥j.
 herbar. agrimonix,
 veronica,
 cuscutæ,
 scabiōsæ,
 ceterach,
 fumarix,
 scolopendriæ,
 capill. Vener.
 cochleariæ &
 nasturtij aquat. an. M. j.
 flor. genistæ &
 sambuci an. M. f.
 sem. fceniculi &
 anisi an. ℥j.
 liquiritiæ rasæ &
 vuar. passular. exacinator. an. ℥j. f.

Coquantur in sufficenti quant. aquæ claræ, do-
 nec tertia pars sit absumpta. Cuius decocti re-
 cipe ℥j. In quo dissolue syrapi de scolopédrio,
 syrapi de Epithimo an. ℥j. f.

aquæ cinamomi &
 aceti an ℥j. Misce, fiat Apozema, pro
 tribus matutinis. Interim loco affect. sequen-
 tem applicui sacculum.

⁊ radic. altheæ &
 maluarum cum toto an. ℥j.
 flor. chamomil.
 meliloti

Sacculus.

fambuci

herbar. cochleariæ

nasturtij aquat. an. M. s.

Incidantur & contundantur, indanturque sacculo, quo filo intertexto, & in aqua cocto, calidè bis aut ter quotidie applicetur.

Post fotum totum latus unguento meo ad splenes induratos, inunxi, Emplastrumque meum de Cicuta supra alutam extensum, applicui. Hisce scirrho emollito, sequentem potiunculam propinaui.

℞ confect. Hamech ℥iij.

extracti Ellebori nigri gr. vj.


aquæ cinamomi ℥. s.

Potio.

Cū decocto præscripto fiat potiuncula, quæ sumatur matutino tempore.

Corpore hac potione tam per superiora, quàm inferiora, (absque tamen vlla violentia) probe expurgato, maximum levamen persensit. Euo-
muit enim multum humoris adusti, nigri & melancholici, proculdubio ab elleboro ventriculum versus attracti. Quapropter ne imperfectum relinqueremus opus inceptum, denuò apozematis præscripti doses sex, vel septem exhibui, interim quoque fomentationibus, inunctionibus & emplastro præscripto usi sumus. Per intervalla quoque potiunculam ex confectio-
ne hamech, & extracto Ellebori propinaui. Sic diuino favore plenissimè conualuit, multosque deinceps annos incolumis superuixit.

OBSER-



OBSERVATIO L.

De abdita Abortus causa.

Ad

Clarissimum ac celeberrimum virum D. D. CASPARVM BAVHINVM, Illustriss. Ducis Vvirtenbergici, &c. Medicum, nec non Anatomicum & Botanicum in Academia Basiliensi, ordinarium.

cui

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

L Iteras tuas, vir Amplissime, amoris ac beneuolentiæ plenas, simul & Problema, Possitne homo aliquot annis sine cibo viuere? à D. CASPARO CONRADO Medico Vratislauensi, conscriptum, & ad me missum, per manus D. EMANVELIS VRSTISH, accepi: cuius rei nomine, tibi & D. CASPARO CONRADO gratias ago maximas. Theatrum tuum Anatomicum, opus sanè, tum propter figurarum nouarum copiam & elegantiam, tum earundem accuratam descriptionem, admirandum, & meritò æternâ laude celebrandum, maximâ cû voluptate vidi. Faxit DEVS OPT. MAX. vt reliqua, quæ Excell. T. præ manibus habet, feliciter ad DEI gloriam, & emolumentum Asclepiadæ familiæ, absoluerè possit. Quòd tam honorificè isto in opere, mei mentionem facias, gratias,


quam possum, ago maximas, utinam referendi occasio detur.

*Primum e-
xemplum
de abdita
abortus
causa.*

Porro superiori anno aliquoties in difficili partu adhibitus, causam abortus non ita vulgarem in vna atque altera puerpera animaduerti. At quia Excell. T. harum rerum studiosissimam esse sciam, illa, quæ mihi hac in re obseruare licuit, communicare statui. Prima autem puerpera fuit TORENTINA MAYER, cōiunx M. VRBANI ALE, matrona honesta ac robusta, quæ ætatis tempore anno 1605. ad quinti mensis finem ferè, signis omnibus fœtus viui apparentibus grauida fuit. Circà finem verò quinti mensis, fœtus primò imbecilliter ac languidè mouebatur, ita vt vix persètiri potuerit. Deindè paulatim & intra paucos dies omninò cessabat moueri. Māmæ quoque, quæ antea lacte turgebant, nunc subsidebant, flaccescebant, & exiccabantur, aliaque signa aderant, ex quibus fœtum in vtero mortuum esse, facillimè coniicere licuit. Tandem circà finē octauī mensis, parturientiū doloribus correpta, enixa est masculum, quem per tres ferè menses mortuum gesta-uerat, vt suo loco fusius declarabo. Huius autem abortus causam, nullam aliam inuenire potuimus, quàm malam ac ineptam cōformationem vasorum vmbilicalium. Chorda enim, vt vocant, vmbilicalis, quæ cōmuniter & in omnibus vlnarum aliquot longitudine esse solet, in hoc abortu, vix spiritamæ erat longitudinis. Hinc perspicuum fit, crescentem fœtum in vtero materno, paulatim placentam ab acetabulis siue cotyledonibus abstraxisse, & sepa-

separasse. Abstracto autem hepate vterino, necessariò moritur fœtus.

Altera est IOANNA coniunx Magist. IO-
ANNIS CORNV Paterniacensis. Illa dum in ^{Ass. —}
matrimonio vixit, ad minimum octies abortū ^{exemplū.}
edidit. Postremum quidem hoc anno 1606.
mense Ianuario, cūm ad quinti mensis finē v-
tero gestasset. Quæ causæ fuerint præcedentiū
abortuum, me latet, cūm compellatys non fue-
rim: Huius verò abortus causam fuisse breuita-
tem vasorum vmbilicalium, seu chordæ vmbi-
lialis, quæ vltra sesquispithamam lōgior non
erat, certò scio. Excell. ergò T. quidnam hac in
re sentiendū existimet, vt mihi significare non
dedignetur, etiam atque etiam rogo. Vale vir
Amplissime, Aesculapideæ familiæ lumen at-
que decus celeberrimū, & me, vt facis, amare
perge. Raptim Paterniaci Auenticor. 30. Martij
1606.




De abdita abortus causa, CASPARI
BAVHINI.

Ad

Præstantissimum virum D. GVILIELMVM FA-
BRICIVM HILD. Chirurgum eximium,
Dominum & amicum, re-
sponsio.

Squam ad me misisti, Vir præstâtissime,
de Abortus causa, obseruationem legi:

quid mihi videatur, paucis: Varias abortus causas, non est quod referam, satis omnibus cognitas: Ob vasa umbilicalia aliquando disrupta, ubi mater brachiis sursum elevatis nimium se extendit, Abortum fieri, notavi: sic etiam ob vasa umbilicalia longiora nimium, collum infantis ambientia, strangulari novit: & ob brevitatem vasorum umbilicalium Abortum causari, non memini me usquam legisse, quare hæc tua Observatio observatione digna est. Hæc paucis. Quod D. DOCTOREM DORINGIVM mei causa sis complexurus, tibi summas ago gratias, nec dubito illum tibi gratum & acceptum fore. Observationes quasdam Botanicas, perscripturum ad me mones, rectè feceris, remque gratam. His vale & salve, Vir præstantissime, & te amantem redama, & ex me VRSTISIVS noster salutetur. Ocyus Basilea 26. Septembr. 1607.



OBSERVATIO LI.

De Fœtu, qui post mortem per trimestre nullis superuenientibus symptomatibus, in utero materno contentus fuit.

*Viro nobili D. MARCO OFFREDO Philosopho
eximio, & Doctori Medico longè
celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Plurimum equidē tibi debeo, vir Ampliffi-
me,

me, pro Exc. T. antiqua in me beneuolētia, sed imprimis, quòd illam renouare, & tam amicè atque candidè mecum communicare non grauetur. Admirandū illum & inauditū casum de putrefacto cordis ventriculo, quē cōmunicasti, accepi, nec non sine stupore perlegi. Nō enim video, quid rarius, aut admirabilius in arte Medica accidere possit, quàm ipsā substātiā cordis putrefieri. Mihi quoque nō ita pridem occurrit casus, & admiratione & notatū dignissimus, quem quia tuis speculationib. nō omninò indignū esse existimo, nūc tibi cōmunicare statui.

TORNTINA MAYER, vxor M. Urbani Alé, cū iam nouies peperisset (cuius prolis sex adhuc in uiuis sunt) superiori anno 1605. decimum fœtum gestabat, & eum ad quintum vsque gestationis mensem optimè valere, indiesque accrescere, certissimis signis cognoscebat. Quandoquidem naturaliter mouebatur in utero, venter item & māmilla accrescebāt: imò & aliquo modo lacte turgebāt. Prætercā extensiones quædā neruorū, coxarum, quib. in præcedentib. vteri gestationibus vexari solita fuerat, nunc quoque aderant. Circā 16. 17. & 18. Augusti, qui finis ei fuit quinti mensis impregnationis, fœtus primo cœpit solito imbecillius moueri, ac paucos post dies, paulatim omninò mouere desiit, absq; vlla molestia, deperditione appetit^{us}, aut aduersa valetudine matris. Adit me 9. Septēbr. duce marito suo, mihiq; hæc omnia ordine retulit: sed imprimis, quòd à 14. dieb. ne semel quidē sēsisset fœtū. Interim quoque māmillas, & ventrem aliquo modo immi-

nutum, & extensiones neruorum cessasse, con-
querebatur. Hinc quia foetum mortuum esse
suspiciabatur, auxilium meum implorauit, ac
vt expelleretur medicamentis, obnixè roga-
uit. Ego, quia nullam praesentem aut urgentem
vidi occasionem, propter quam expelleretur fo-
tus, nihil temerè tentare volui, sed suasi, vt ad
dies aliquot subsisteret, atque expectaret quid-
nam natura molitura esset, interim tamen vt
optimâ victus ratione vteretur. Post 14. dies
marito duce, me conuenit, tum ventrem &
mammillas omninò subsidisse deprehendi, re-
tulitque se nihil, praeter massam quandam aut
veluti globulum, qui vix caput infantis ade-
quaret, qui pro ratione decubitus, in latere
vnum vel alterum se conuolueret, persentire
insuper quoque narrauit solitas neruorum de-
stentiones omninò cessasse. Ex his quamuis
liquid praeternaturale in matrice subesse, facile
mihi conicere licuerit, commotus tamen ra-
tionibus, quas commemoravi, ante finem non
mensis nihil tentandum suasi, dummodò re-
in eodem permaneret statu. Circa finem vero
octauis mensis imprægnationis suæ, parturien-
tium doloribus, sed non vsque adeò violentis
correpta fuit. Ego, vt aliquo modo naturæ suc-
currerem, illicò sacculum ex emollientibus, &
foetum attrahentibus, linimentum item ex o-
leo amygdalar. dulcium, liliorum albor. pin-
guedine gallinæ & anseris praescripsi, & appli-
cari iussi. His per horam sic applicatis, foetus
& quidem in pedes sese offerens, ab vxore mea,
cuius opem hac in re implorauerunt, feliciter,
& sine

& sine violentia extractus fuit. Deinde breui conualuit puerpera, & ad hunc vsque diem prosperâ valetudine fruitur. Fœtus autem longitudinem spithamæ cum dimidia non excedebat. Oculi ex suis orbitis seu capsulis pro-
pendebant. Os item apertum, caput nigrum & flaccidum erat: interim tamen fœtor nullus aderat, Hepar vterinum integrum, sed flaccidum pallidumque conspiciebatur.

In eo autem id singulare annotavi, vasa nimirum vmbilicalia, siue chordam, vt vocant, vmbilicalem, lōgitudinem spithamæ vix excessisse. Hęc ego existimo fuisse præcipuam causam, quòd fœtus tam maturè in vtero obierit. Quãdoquidem crescentem fœtum pedetentim propter breuitatem vasorum vmbilicalium placẽtam à vasis cotyledonib. abstraxisse, nullum est
dubium. Hinc paulatim imminuto alimento, & viribus deficientibus, necessariò interijt.

Observatio notanda de vasis vmbilicalibus.

Superiori anno 1605. cum nobilem quandam virginem in Perroy, grauissimo affectu in aure laborantem, curandam haberem, & Reuerendum D. Odetum, eius loci verbi diuini ministrum fidelissimum, & amicum meum plurimum honorandum, aliquando per ocium inuiserem, retulit mihi vxor eius honesta casum planè similem, nimirum cum ante multos annos grauida esset, & propter ciuilia bella patriâ, cum primo marito, D. Poteratio, verbi diuini ministro, expulsa fuisset, elapso quinto mēse, non amplius sensisse fœtum: ventrem quoque paulatim vsque adeò subsidisse, vt de impregnatione amplius non cogitaret. Circà verò octauis mēsis

Historia alicuius defœtus in vtero materno mortuo.

finem parturientium doloribus correptam, filium peperisse, eumque longitudinem spithame cum dimidia non excessisse, sed corpore ita extenuatum, cutemque & musculis, rugosum exsiccatumve fuisse, ut figuram sceleti planè præferret. Ex quibus adstantes omnes foetum, quantum non putridum, neque foetidum per menses tres aut circiter, mortuum fuisse iudicabant.

Ceterum in his recitatis historiis, Vir amplissime, duo occurrunt Problemata, quæ me aliquo modo in admirationem rapiunt, quæque T. Excell. speculationibus omninò digna censeo, nimirum

Questio 1. 1. Quomodo fiat, cur foetus mortuus in utero, quum sit res planè contrà naturam, maturus non fuerit expulsus, præcipuè quum natura semper tentet expellere, id quod sibi noxium est.

Questio 2. 2. Quum foetus in Utero vitâ & animâ privatus, citissimè putrescat, cur hinc tamen foetor nullus adfuerit?

Ad qualia mea quæsitâ & dubitationes, si Exc. T. aliquando postpositis suis gravissimis negotiis in curandis ægrotis, & studiis indefessis, mihi verbum vnum, aut alterum respondere libuerit, gratissimum mihi fecerit. Vale vir Clariss. & Humaniss. unâ cum coniuge tua Ludovica Sarazena, matronâ doctrinâ & virtute longè nobilissima, quam tecum ego, & vxor mea demissè salutam. Paterniaci 12. Maij. 1606.

MARCVS OFFREDVS

Viro celeberrimo D. GVIL. FABRICIO Hil-
dano, Chirurgo præstantissimo,

S. P. D.

Indefessum tuum studium, Vir celeberrime,
In explorâdis reb. quæ humano corpori con-
tingunt, magnâ admiratione dignissimis, vt te
iam pridem è vulgarium Chirurgorum nume-
ro exemptum testatur, ita ad supremum in arte
Chirurgica fastigium mox peruēturum, indu-
biè prænuntiat. Maçte igitur animo, perge, vt
cœpisti, quâdo quidem te duce, non pauci por-
tentosi morbi debellari poterunt.

Nunc ad eam venio, quam ad me scripsisti,
historiâ, vt scilicet binis tuis grauissimis quæ-
stionibus satisficiam.

Ad primâ quod attinet, fœtus in vtero mor-
tuus, quamuis res sit omninò præter naturam,
eam tamen noxam non ita necessario infert i-
psi vtero, vt expultrix vteri irritata, subitò ac
velut motu quodam præcipiti ad expellendum
insurgat, præsertim gestationis mensibus con-
tinendo fœtui, dicatis.

Ad secundâ, In vtero non computruit fœtus
mortuus, is enim, quâuis calore vitali orbatus,
mixti tamen calorē, quâ mixtum erat, retinuit:
siquidem eo loci defuit ambiētis calor præter
naturâ, ad quē pertinet mixti putrescibilis calo-
rē euocare: vteri verò ipsius calor, mortuo fœ-
tui non omninò aduersarius, posterioribus illis

*Responsio
ad primâ
quæstionē.*

*Responsio
ad secun-
dam quæ-
stionem.*

gestationis mensibus, eiusdem potiùs calorem
quàm mixtum erat, fouit: adde, quòd vteri calor
eiusdem mortui corpusculi humidũ magna ex
parte absumens præcipuam putredinis materiã
per illud tempus è medio sustulit, & tabem po-
tiùs exiccando inuexit, idque exemplo confir-
matur alterius fœt' in vtero itidem demortui,
ad exactã inque exiccationem & tabem redacti,
cuius in fine Observationis tuę meministi. Hęc
ad quęstiones tuas dicenda habui, quę velim
qui boniq; cõsulas. Vale. Geneuę 22. Maij 1606.



OBSERVATIO LII.

D E

Mola comitante fœtum vsque ad ipsius
perfectionem, deque eiusdem
Molæ extractione.

Ad

*Clarissimum atque Excellentissimum Virum D.
D. IACOBVM ZVINGERVM Academia
Basileensis Professore[m] & Medicum
celeberrimum, atque pro tem-
pore Rectorem Magnificum.*

cui

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

Quod de Editione Tractatus mei, de Cõ-
bustionib, Magnifice D. Rector, sollicitus
fue-

Handwritten note:
D. J. & J. J. 56.

fueris, & etiãnum conatus meos, & studia mea promouere non desinas, gratias ago maximas, & doleo nõ tantũ esse in rebus meis, quantũ Magnif. T. obstringor. Si qua tamẽ in re Mag. T. inseruire potero, ne ingratus sim, operam dabo. Exemplar nunc per D. Vrstisium ad te mitto, rogõque vt id per ociũ inspiciere digneris, in quo si quid emendandum tibi videbitur, pro tuo candore, liberrimẽ me admoneas. Annexi carmina variorum in obitum Nobiliss. D. CAROLI VTENHOVII, quæ simul excudi optarem. In ea sectione herniæ, cuius Mag. T. in postremis literis ad me datis meminit, nimirum quæ fit absque testium executione, sperarem DEI beneficio aliquid boni me præstaturum, si operatio hæc aliquando inter magnates accideret: inter plebeios enim homines, præcipuẽ huius regionis, vix adhibenda est, nisi enim eis testis exsecetur, se non perfectẽ sanatos esse, putant. Aliquoties tamẽ operationem hanc fœliciter feci, & ante annos duos hĩc in iuvene, vt D. Vrstisius Magnif. T. significare poterit. Observationem de Molæ Extractione, quam toties promisi, simul & adumbrationem eiusdem Molæ, nunc mitto, quæ sic se habet.

ISABELLA MACE, filia ANTONII MACE olim apud Geneuenses Pharmacopœi vigilantissimi, nunc M. ELIÆ BRVNIER ciuis Lausannensis vxor, matrona vt ex piis & honestissimis parentibus oriunda, sic quoque honesta ac pia, corpore robusta ac plethorica, Anno circiter ætatis 34. cum quintò vtero gestaret

M iij.

ad sextum vsq; mensem continuò aut ad minimum alternis dieb. mèstruis satis copiosis, absque incòmodo tamè, & virium prolapsu, laborabat. Elapso sexto mēse, mox ex toto mèstrua denuò absq; incommodo suppressa fuerant. 22. Martij, qui finis fuit noni mēsis prægnationis, parturientium doloribus correpta puellam robustam & omnibus membris perfectam feliciter peperit, & secundinam mox eiecit. Post partum, quia duritiem ac pondus in ventre non sine molestia magna persentiret, alterum vtero se gestare fœtum sibi planè persuadebat, quod verò obstetrix dissuadebat, nec manum ampliùs adhibere volebat. Die 23. & 24. satis bene se habuit. Sed die 25. correpta est febre, vigilijs, & maximis doloribus circum venterem & regionem ossis sacri, symptomatis singulis momentis ingrauescentibus, altero die IOACHIMO ROHARD apud Laufannenses Pharmacopæo vigilantissimo, & decumbentis sororio, Enema iniicere, ac postridie corpus leni aliquo medicamento purgare visum est. Verum iniecto clystere, & exonerato ventre, cùm ægra denuò de re aliqua ponderosa circum pudenda conquereretur, me aduocandum suavit. Itaque sequenti die, nempe 27. ad ægram ingressus, ipsam febricitantem cum doloribus tum capitis, tum ventris & renum, nauseam, ructibus putidis, vigilijs & inquietudinibus, aliisque symptomatis offendi. Ex quibus facilè mihi conicere licuit, aut molam, aut simile quid in vtero remansisse. Primò itaque

itaque sequens exhibui enema.

℞ radicum althææ &
aristolochiæ longæ an. ℥j.

folior althææ

maluæ

parietariæ

arthemisiæ

melissæ

pulegij

flor. chamomil.

meliloti an. M. f.

sem. fœnogræci

lini an. ℥j.

anisi &

fœniculi an. ℥j f.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ
partis. In ℥j. colaturæ dissolue Benedictę laxa-
tiuæ,

Hieræ ex colocynthide an. ℥iij.

vitellum oui vnus

falis p. j.

ol. rutacei &

chamomil. an. ℥ij. Misce, F. ita

Enema.

Posteà pudendis & imo ventri sequentem
sacculum applicui.

℞ radicum aristoloch. longæ ℥ij.

herbar. arthemisiæ

melissæ

matricariæ

sabinæ

rutæ

pulegij

M iij

Enema.


Sacculus.

flor. chamomil.
 meliloti. an. M. f.
 sem. fcenogræci
 lini
 fceniculi
 anisi
 feseleos an. ʒ. f.

Incidantur incidenda, reliqua contundan-
 tur, & indantur sacco triangulari, filo inter-
 texto, eius magnitudinis, vt imum ventris ad
 umbilicum ferè vsque cooperiat, apex verò ad
 pudenda, & perinæum descendat.

Figura Sacculi talis esto.

Sacculum



Sacculum aquâ incoctum, calidè applicui. Ventrem & genitalia per horas duas fovi, interim quoq; aliquoties coxas, genitalia, ventrè atque os sacrum, calidè sequenti vnguento inunxi.

℞ ol. liliorum alb.

amygdal. dulc.

de vitellis ouorum &

lumbricor. an. ʒ. i.

pingued. anseris &
 caponis an. ℥j. Postea
 ꝛ farinae foenograeci &
 cydoniorum an. ℥j.
 croci subtiliff. pulueris. ℥ij.
 aquae arthemisiae ℥j. Misce, & post vni-
 cam ebullitionem addantur olea, & pinguedi-
 nes praescriptae, fiatque vnguentum.

Reiecto clystere, mox illam in dorsum collocaui,
 tantumque corpus deorsum retrahere curavi, ut pe-
 des infima parte sponde commode inniti possent,
 & circa genua parum inflecteretur. Singulis ite
 columnis inferiorib. spondae, suum manutergiū
 alligavi. His omnib. preparatis, dextram ab annu-
 lis liberam superiori linimento inunctam, paulatim
 clementerque in uterum immisi, idque ut eò com-
 dius fieret, iussit manutergia manib. apprehē-
 deret, pedibusque ad inferiorē spondae partē fir-
 miter insisteret, & simul parturientiū dolores,
 & conatus, quantum posset, prouocaret. Sic enim
 naturae beneficio, genitalia aliquo modo dila-
 tatur & aperiuntur. Manu immissa utero, Mola
 vel massa illa carnea in sequenti figura litera B.
 notata, quae magnitudinem capitis infantis ferè
 adaequabat, statim obuiam venit. Rotunda autē
 erat, sed paulatim decrescens, tandē in spōgio-
 sam quandam substantiam A. notatam, desinebat, quae
 utero ad dextrum latus, non aliter ac secundina
 solet in foetu, tenaciter adhærebat. Manu itaq.
 altius in uterum immissa, digitis clementer pau-
 latimque fungosam hanc substantiam ab utero se-
 paravi, atque vnicam vice totam hanc molam semi-
 putridam & foetidam sine violentia & dolore,
 praesente

præfente marito & IOACHIMO ROHARD, nec
non multis matronis piis & honestis, extraxi.
Appēdebat prætereà molē huic alia quēdā car-
nis portio, litera C. notata. Verū quia mola hæc
semiputrida, putredinis suę notā vtero iam in-
uflerat, iussi, vt per dies aliquot decoctū sequēs
bis aut ter in die syphone vtero iniiceretur,

℞ hordei integri Mj.

scordij vtriusque

rosar. rubr.

absynth. vulgar. an. M. f.

*Iniectio in
vterum.*

Coquantur in aqua vsque ad crepaturam hor-
dei. In ℥ ij. colaturæ dissolue

mellis rosati ℥ iij.

pulu. myrrhæ &

aloes an. ℥ j. Misceantur, iterūmque

per linteum colentur, & colatura tepidē
vtero iniiciatur. Postea spongia hoc decocto
imbuta, fortiterque expressa, pudendis calidē
apponatur. Illa enim nō solum corroborat par-
tem affectam, verūm etiam cum decocto vtero
iniecto putridos humores paulatim attrahit,
& absorbet. Ideoque, eiusmodi spongas duas,
vt vnā applicatā, altera interim mundetur &
exiccetur, habeas, necesse est. Reliquis itē sym-
ptomatibus, tum optimā victus ratione, tum
medicamētis, prout necessitas imperauit, pro-
speximus. Ita vt intrā septimanas tres, diuino
fauore in integrū restituta sit Matrona illa, &
etiamnum vnā cum puella, quem enixa fuerat,
bona valetudine fruatur.

Figura Mola.

Habes hîc lector beneuo-
le formam Molæ, magnitu-
dinem verò, propter pe-
nuriã spacij adumbrare
non licuit, quæ tamen vi-
situr in Musæo meo.

ANNO.


ANNOTATIO.

Quemadmodum Hepar vterinum, vtero & eiusdem acetabulis aut orificiis cotyledonum adhærescens alimentum attrahit, vt per vasa vmbilicalia ad fœtum transferatur, sic mola hæc vtero adhærebat, vt sibi alimentum ex cotyledonibus traheret.

In extractione molæ nonnulli hamulis acutissimis siue pede Gryffonis (vt vocant) vtuntur, sed meo iudicio non sine ingenti periculo. Si enim hamulus excideret, facilimè matricem dilaceraret. Hanc ob causã forcipem excogitari, cuius extremitates in cochlearis, aut rostrati formam, sed profundè fatis, vt dentes excipere possit, fabricatæ sunt. In quorum cochlearium medio exurgunt dentes tres, quadrati & acutissimi, eius longitudinis, vt hic vnum depinximus, ita tamen, vt secundum lineam rectam positi, vnus sit ad latus alterius. Hinc fit, vt clausâ forcipe, nullus horum dentium appareat, nullusque prætereà, quantumuis forceps effugeret, collum matricis lædere possit.



Delineatio Forcipis.




Sin

Sin verò præter forcipem, hamulum adhibere necesse sit, suadeo vt sequens ex nostra inuentione depictus eligatur, quo nos in extractione foetus mortui vtimur. Præstat tamen vti manu, vt quæ tutior est, minúsque dolorosa, neque pauorem ægrota, & adstantibus inducit.



Hamuli adumbratio.




A. Ha,

A. Hamulus est.

B. Lamina est ferrea in formã linguę fabricata, alibi à nobis Defensorium, appellata. Quod interim dũ immittitur hamulus, retrò versùs manubrium dimittitur, infixò autem hamulo rursùs versùs hamulum reducitur. Vfus autem, atque vtilitas huius laminę ferreę est, nimirùm vt si hamulus effugeret, tamen lamina illa impediret, quò minùs collum matricis dilaceraretur.

Habes hìc breuib. Magnifice D. Rector, quæ circà Extractionem Molæ, mihi obseruare licuit, vnà cum Molæ & instrumentorũ delineatione. Quę si arriserint, optatũ finẽ nactus ero, sin minùs, meę tamẽ erga Mag. T. perpetuę obseruatię monumẽtuin erunt. Vale cum omnib. tuis, quos ego & Colinętea mea chariss. demissè salutamus. Paterniaci Auenticor. 10. Februarij 1607.



OBSERVATIO LIII.

De Mola aquosa.

Ad eundem

*Virum Clarissimum atque Excellentissimum D.
Doct. IACOBVM ZVINGERVM.*

IAm dudum Vir amplissime, ad Epistolam tuam non vulgaris erga me amoris plenam, respondere debui: sed quia in ea responsione de Extractione Molæ agere constitui, in qua

N

instrumenta & quædam alia erant depingenda huc vsque proposito meo, propter multas & varias occupationes satisfacere non licuit, neque etiamnum licet. Ante dies enim quatuordecim huc Bernam vocatus, circa puerum decem annorū ætatis, naturā tenerū, corpore verè exilem, ex calculo vesicæ à iuventute laborantē occupatus sum, Vigesimo primo huius mensis calculū hūc præsentē Reuerēdo viro D. Ulrico Trogo verbi diuini ministro, Clarissimo D. D. Paulo Lentulo, D. Emanuele Vrstifio, multis aliis nobilibus, extraxi. Id quanto labore & difficultate factum fuerit, Deus testis est. Præterquam enim, quòd vesicæ tenaciter adhærebat eius erat magnitudinis, vt integrum illum extrahere nō licuerit. Post operationem factam Deus ita benedixit remediis, vt nūc, Laus Deo ad decimum diem morbi, nullis symptomatibus superuenientibus curam protraxerimus: Febri ferè nulla adfuit, neque dolor, multò minùs inflammatio aut inflatio.

De Molæ extractione, quā primū domum reuersus fuero, Deo dāte, dabitur scribendi occasio: forsan quoque de hydrope vterino, quod dulcissima mea coniunx, superiori anno in postrema vteri gestatione, grauitè affecta, vna tamen & filio, qui hucusque bene se habet, Dei summo beneficio liberata fuit, aliquid addam. De Mola verò aquosa, nunc exemplum vnum aut alterum adijciam.

1. Exemplum de Mola aquosa.

Anno 1604. honesta quædā Matrona Bernensis, ad quinti mensis finem grauida, & parturientium doloribus correpta, vltra decem libras aque

quæ tenacissimâ mēbrana inclusæ, non sine co-
nato, & dolore maximo, vnâ cum membrana
enixa est. Ego, cūm adstātes matronæ medica-
mentum ad fœtum expellendū, propinare vel-
lent, vocatus, in sedili parturiētium, matronam
hāc, animo, vt ita dicam, perculso atque detur-
bato inueni. Putabat enim nisi fœtus expellere-
tur, de vita ipsius actum fore. At ego cōtrā sua-
debam, vt se in lectum conferret, quò amissæ
vires reficerentur, recolligerenturque: quapro-
pter optimam victus rationem, & medicamen-
ta aliquot cordialia præscripsi, sic breui in inte-
grum restituta fuit, & fœtum ad maturitatem
vsque gestauit.


Alterum Exemplum mole aquosæ, obseruavi *2. Exem-
plum de
mola a-
quosa.*
in honestissima & pia matrona, sanguine mihi
iuncta: illa cūm per menses aliquot se gravidā
existimaret, interim tamen valetudine parum
rectâ frueretur, factum est, vt dum noctu cum
marito rem haberet, impetu quodam copiosè
erupta ex vtero sit aqua, vtcūque viscida. Vē-
ter mox subsidit, conualuitque Dei beneficio,
& ad huncusque diem bona valetudine fruitur,
& liberos aliquot progenuit. Plura non licet,
propter occupationes. Vale Vir amplissime &
charissime. Raptim Bernæ 30. Maij. 1606.

Tuæ Excellentiz addictissimus

& obsequentissimus

Guil. Fabricius Hildanus:

N ij



OBSERVATIO LIV.

Mulier septimo mense molam enixa,
nono mense filium peperit,
diu incolumem.

Idem ad eundem

Virum Clarissimum atque Excellentissimum
D.D. IACOB. ZVINGERVM.

NVnquam foetum, cui coniuncta est mola,
vir Clarissime & Excellentissime, ad ma-
turitatem perfectionemque peruenire posse,
Medicis in cōfesso est. Attrahit enim mola par-
tem sanguinis & nutrimenti, inde languescen-
te foetu, fit abortus. Ego tamen honestissimam
ac piam matronā cognoui Dusseldorpiæ, quæ
cūm grauida esset, septimoq; mense parturien-
tium dolorib. oppressa, enixa est molā, quæ ma-
gnitudinē capitis adæquabat. Nonno verò men-
se filium peperit, quem ad decimum septimum
annum ætatis sanum & incolumem supersti-
tem cognoui, qui tandem peste obiit.

Exemplū

1.

Exemplū

2.

Anno 1599. Colonię vocatus ad honestissimā
matronam, cui per triduum parturientium do-
loribus laboranti, foetum perfectum & maturū
extraxi. Paucis post foetus extractionem elapsis
diebus, mola sese offerebat, eamq; frustratim,
& semiputridam exemi.

Exemplū

3.

Nobilem item, & honestissimam matronam
Freiburgi Auenticor. cognoui, quam ante an-
nos 4. in puerperio dolore coxendico grauiter labo-

labo-

laborantem, curandam habui. Ea mihi referebat, se in omnibus suis puerperijs (habebat autem tunc temporis quatuor liberos robustissimos) duabus aut tribus circiter à felici partu, horis, molam enixam fuisse. Est illa matrona satis robusta, plethorica, & maximè carnosa.

Reliquas, quas à me expectas, vir Clarissime atque Excellentissime, de Mola eiusdemq; extractione, Observationes, nunc propter temporis angustiam, communicare non licet, fiet tamen id primà quaque occasione.

Interim Deum Opt. Max. oro, vt Exc. T. cum tota familia, quàm diutissimè incolumem conseruare velit. Raptim Paterniaci Auenticor. 17. Ianuarij 1606.

IACOBVS ZVINGERS

D.

GVILIELMO FABRICIO HILD.

Chirurgo præstantissimo

S. P. D.

Raræ sunt Observationes, Vir clarissime, quas mecum de Mola vteri muliebris familiariter communicasti: dignè, quæ suo tēpore in publicum edatur. Pareus verè præstas Chirurgus huius est opinionis, vt vix detur mola, quæ iunctū fœtum non enecet, nutrimenti prōptuario in se defiuato. Sed rectè contrarium persuadent euentus à te descripti, scilicet in re

N iij

*Contra
Paracelsi
Observati-
ones.*

medica hoc perpetim venit usu, ut vix sit vllium
 theorema, quod ex omni parte verum, nullam
 admittat, patiatúrve exceptionem. Vnde mihi
 mirum in modum placent ij, qui præter vniuer-
 sales regulas particularium casuum diligētē
 habent rationem. Hęc ergo causa est, cur nostra
 Medica ars, qualis est quantaq; mero σοχασµη
 præcipuè nitatur. Quòd si iam occurrat quip-
 piã variãs, illius causę sollicitè sūt perquirētes,
 & in præsentī casu, qui factum sit, quòd foetus
 molæ consuetam, & ferè semper exercitam ty-
 rannidem, saluus & incolumis euaserit. Nimirū
 constituentium causarum, materiæ & efficiētis
 comparatio instituenda est, & ita de re tota a-
 stimādum: cūm vtraque proles his suis nitatur
 causis, eam dominio potitam fuisse, quę eas v-
 lentiores obtinuerit. Vnde evenit in historiis
 te recitatis, foetum firmiorib. causarū satellitibus
 aduersus molę impressiones munitū, obtinuisse
 se victoriã, debitóq; tempore viuidum sanū
 que exclusum fuisse. Duas proximè quoque a-
 me dederas laboriosę parturitionis obserua-
 tiones, eas medicinę Cãdidatus Domin⁹ Fle-
 serus suis thesibus de Hysterotonica inseruit
 adiecta tui honorifica mētionē. Misissem ad
 theses, nisi scirem ipsummet hoc acturū. Am-
 bit is amicitia tuã, & conuictum quoq; in ali-
 quot hebdomadas aut mēses, si eū me interces-
 sore obtinere posset: ut tuo imprimis ductu
 manuali operationi Chirurgicæ assuescat, quæ
 deperit. Intereã ut priuatum de Vrstifio, quem
 in Præceptorē filiolo tuo, suscepturus es, nego-
 tiū nostrū attingã: spero ex omni parte facturū
 ipsum

ipsum fidi diligētisq; hominis officium. Callet Gallicè. Elegāter Germanicè & Latinè pingit. Monui ipsū vt tuā sibi *συνομιλίαν* utilē reddat. Subleuet occupationes tuas Practicas, euoluen- dis Galeni, aliorūmq; scriptis. Est enim peruti- le, laudēmq; meretur, quæ quis singulares vidit casus, ad medicorū principiorū rhombū reuo- care posse, vt quā conueniāt, quā discrepēt, mū- do litterario innotescat. Id ego conatus sū pro tenuitate ingenij & profectus mei eo exprime- re epistolio, quod tu κατ' αἴσας ἢ ὑπὲρ αἴσας Cētū- riæ tuæ practicæ associandum existimasti. Id tu quoq; aliās prestare doctè, & eleganter solitus es. Subleuet ergo Vristisus occupationes tuas, sicquæ tibi profit, sibi non obsit. Percom- modum foret, vos habere Galeni & Hip- pocratis opera, sed nō dubito, quin omni suffi- cienti librorum supellectile instructus sis, & se- pius me de Chirurgicis tuis lætis successibus certiozem face. Basileæ II. Martij. 1606.



OBSERVATIO LV.

De ingenti Mola, & vtero pe-
ritonæo adnatæ,

Ad eundem

Clarissimum atque Excellentissimum vi-

rum D. D. IACOBVM

ZVINGERVM.

Purimū tibi debeo, Magnifice D. Rector,
N iij.

qui tam liberaliter ac candidè labores tuos mihi communicaueris, conatúsque meos iuuare, atque studia mea ornare, dedignatus non fueris. De Mola iterum mihi occurrit casus rarissimus, quem Magnificentiae tuae communicare placet. Matróna quaedam Milduni, Debora Barrel nomine, vxor Iohannis Huguet, duorū fere annorum spacio grauissimè vtero laborauerat. Ab initio grauidā se esse putabat: omnia enim signa prægationis propemodum aderāt. Elapsis tamen mensib. aliquot falsę huius prægationis, peius se habere cœpit, mammae flaccescebāt, venter verò de die in diem accrescebat, appetitus item prostratus erat, dolores quoque totius ventris continui, imprimis verò lateris dextri, atque è regione renis sinistri tam vehementes, tamq; maximi aderāt, vt sepiissimè meritū suum & adstātes implorauerit, quo Medicū aut Chirurgum aliquē accerferent, qui aperto abdomine horrendas illas & crudelissimas bestias expelleret: planè enim sibi persuasū habebat, se gestare bestias. Tādē cū in hac miseria vltra duos annos languesceret, auctā febriculā, nausēā ac vigiliis, nullis itē vsa remediis, è vita discessit. Ego 12. Iulij hui' anni 1606. vocat' corā Generoso Domino IOAN. RVDOLPHO ab ERLACH, ei' loci Præfecto prudētissimo ac vigilantissimo, Nob. PHILIPPO CERIACO, Domino in ALLEMAN, & DE INSI, Doctissimo quinetiam D. PETRO de L'OSEA, eiusdē loci Ludimagistro fidelissimo, & quamplurimis aliis cadauer incidi, atque ea, quæ sequuntur, notatu dignissima, obseruauī.

I. Adaperto

1. Ad aperto abdomine, plurimum aque carnis loturæ similis effluxit.

2. Vterus in magnitudinem ingentem extensus, Peritonæo à linea alba vsque ad costas spurias & renem dextrum adeò tenaciter adhærescebat, ut vix auelli posset: hinc dolor ille maximus, quem in dextro latere passa erat.

3. Rē sinister planè putrefact⁹ cōspiciebatur.

4. Hepar vndique abscessib. putridis scatebat. Hinc aqua, quæ in vacuo ventris continebatur, sanguinolenta facta fuerat.

5. Vtero ad aperto, aque foetidissimæ puri permixtæ, ultra libras sex effluxerat.

6. Mola quoque in cōspectum sese dabat, magnitudinem capitis longè excedens, inæqualis, nonnullis quoque in locis dura, atque hinc inde putrida ac foetida. Illa autem non solum vasis cotyledonibus, verum etiam tota illa parte, quæ dorsum respicit, tam tenaciter adhærescebat, ut sine dilaceratione vteri, auelli atque separari non potuerit.


7. Ambo quoque testiculi præter naturam adeò excreuerant, ut magnitudinem pugni excederent, erantque inæquales, duri & ad instar ferè vna, quemadmodum figura, quam mitto, indicat.

Nonne mirum Vir Amplissime, corpus tam languidum, tamque multis & grauissimis affectibus afflictum, posse in tam longum tempus superstes esse, Mirum quoque, quomodo Vterus Peritonæo, cum sint partes membranosæ, adnatus fuerit. Idem tamen in Pulmonib. obseruauit, uti in Obseruat. 43. videre licet. Sed hæc

vti sunt rara, ita etiã admiratione dignissima. Hisce vale vir Amplissime, & me, vt facis, amare perge. Paterniaci.

T. Magnif. addictissimus

Guil. Fabricius Hild.



OBSERVATIO LVI.

De Hydrope vterino comitante
fœtum.

Ad eundem

*Virum Clarissimum atque Excellentissi-
mum D. D. IACOBVM
ZVINGERVM.*

Sagra ob. 52.

93

PRO humanitate, quã me non ita pridem
domi tuã, rursus affecisti, Vir Amplissime,
Domine & amice obseruandissime, gratias
quas possũm, ago maximas. Oro etiam quan-
to perẽ possũm, vt meo nomine verbis hono-
rificentissimis Amplissimã atque Gratiouissi-
mã Facultati Medicę Basiliensi, salutem dicere,
& pro honore, ac beneficiis nuper mihi exhi-
bitis, gratias agere, meãque omnem operam,
studiũ atque obseruantia offerre non graueris.

Cãterũm obseruatio de Hydrope vterino,
de quo nuperrimẽ loquebamur, ita se habet.
Anno 1604. dulcissima atque charissima con-
iunx mea, dũm septimò vtero gestaret, statim
ab initio gestationis, prãter modum atque cõ-
suetudi-

suct
loro
mi
pat
vie
rof
Ar
ipl
tus
sex
ru
ver
&
co
set
Eg
re
en
fi
in
qu
pr
nu
rl
pe
h
st
cu
bi

suetudinem debilitata eneruatâq. fuerat. Dolores ventris, & præcipuè dextri lateris maximi ac frequentes aderant. Circà regionem Hepatis per interualla, & quotiescunque fœtus in utero sese mouebat, frigus molestum ac dolorosum, persentiebat. Interim venter in monstruosam magnitudinem intumescebat, adeò vt ipsam duos aut tres ad minimum enixurâ fœtus, cuncti arbitrarentur. Spatio hebdomadam sex antè partum, crura, pedesque hydropicorum more intumuerant, quin etiâ dolores, tum ventris, laterisque dextri, tum quoque renum & crurum, adeò aucti fuerant, vt noctes diesq. continuò eiulare atque lamentari coacta esset, lectumque amplius sibi egredi non liceret. Ego interim de dolore fixo atque continuo è regione Hepatis, valdè sollicitus eram. Verebar enim, ne tandem propter attractionem, quæ fit doloris vehementiâ, inflammatio aliqua in Hepate, aut vicinis partibus (vti mihi aliquoties videre contigit) oboriretur. Quapropter vt materia peccans in corpore diminueretur & euacuaretur, aliquoties infusionem rhabarbari, & syrupum rosar. solutium compos. cum rhabarbaro, agarico & senna ipsi exhibui, vtque aluus semper lubrica esset, clysteribus, suppositorijsque effeci. Exteriùs locum dolentem sequentibus oleis singulis diebus aut ter inunxi.

℞ ol. anethini

chamomel. an. ℥iiij.

azungia hum.

succi veronicae

Vnguentum.

agrimoniæ

absynth. an. ℥ij.

Coquantur lentissimo igne ad succorum ferme
consumptionem. Sacculum item sequentem ca-
lidè applicui.

Sacculus.

℞ flor. chamomil.

meliloti

sambuci an. p. ij.

folior. & radic. maluæ

bismaluæ

agrimoniæ

veronicæ an. M j.

sem. anisi

fceniculi an. ℥j.

fcenogræci ℥. s.

Incidantur & coquantur pro sacculo, inter-
to, qui calidè applicetur.

Sæpissimè quoque ipsi ad ℥j. ol. amygdæ
dulc. recens extracti, nunc decocto agrimoniæ
veronicæ, sem. anisi, parùmque flor. chamomil-
læ, nunc vino & saccharo mixti, pro vice exhibui.
Hinc diuinâ clementiâ dolores ita remiserunt,
vt postea paululum quiescere possent.

Die 2. Martij Anno 1605. dolores parturien-
tium, quamuis leuiiores, continui tamen ipsas
infestauerant, qui sensim accreti, vsque ad quatuor
tam diem eius mensis, quo circa septimam vltimam
spertinam dolore vehementissimo correpta, &
vteri apertū, indeque vltra libras 18. mercatorum,
aquæ lymphidissimæ, nulloque cruore admixto,
maximo ac vno impetu effluxere, atque in isto
motu fœtus ad exitum sese parauerat.

Et

Et postquam per semihoram quieuisset, & aliquantum confectionis Alkermes, cum aqua cinnamomi, sine vino destillata, dissolutæ sumpsisset, rursus dolore & conatu maximo correpta est. Tùm primò aqua, quæ fœtum comitari solet, ad libras nouem effluxa, instante nona vespertina, puellum simul peperit robustissimū, quem decimâ die eiusdem mensis sacrosancto baptismo, cœtui fidelium insertum, non tantum à parente meo piæ memoriæ, verum etiam, quia charissimæ coniugi meæ toto gestationis tēpore, instar petrae, grauissimum onus fuerat, *Petrum* nominare visum fuit. Faxit DEVS fons omnium bonorum, vt in posterum quoque ad ædificium Ecclesiæ Christi *Petra* condigna censerî possit.

Porro optimâ à partu victus ratione obseruatâ, nonnullisque adhibitis remediis, intra mensem in integram, eamque optimam sanitatem restituta fuit, ita quidē vt puellum ipsamet lactauerit, & hucusque foeliciter educarit. Sed quod summoperè mirandum, puellus iste omnium liberorum meorum robustissimus existit, quinetiam optimo ingenio præditus. Vt indè spem concipiam fore, vt aliquando in virum egregium euadere possit. Quod vt fiat, & charissimâ meâ coniuge diu incolumi superstiteque frui queam, Deum Opt. Max. ex toto corde precor. Idem D. O. M. Excell. T. vnâ cum nobilissima ac honestissima sua Brandina, proléque dulcissima, Nestoreis ditet annis. Vale. Paterniaci Auenticor. 20. Iunij 1608.

Tuæ Excell. addictissimus &
obsequentiſſimus

Guil. Fabricius Hildan.

Ad eundem

Virum Clarissimum atque Excellentissimum D.
D. IACOBVM ZVINGERVM.

BInas abs te accepi literas, Vir amplissimus
vnas per manus D. Doct. FRITZSCHII
alteras heri. Optimi isti ac doctissimi viri
quos T. Exc. mihi commendavit, acceptissim
fuerunt. Responsum ad Observationem de hy
drope uterino avidè expecto. Filiolus, qui
Oceano isto per menses novem natauerat, et
nunc optimè se habet, omniùmque liberorum
meorum robustissimus existit, ac optimo, La
fit creatori, ingenio præditus, & iam quartum
annum ætatis prætergressus est. Vxor mea, in
pariendum vicina, multò melius valet quam
in præcedenti gestatione uteri. Faxit clemen
tissimus ille Pater cælestis, vt foeliciter parere
mihique diu superstes manere possit. Vale
clarissime, & me quod facis ama. Paternit
29. Iunij 1609.

T. Excell. addictissimus & obsequen
tissimus

Guilh. Fab. Hildanus.

IACOBVS

IACOBVS ZVINGERS GVI-
 LIELMO FABRICIO HILD. *Medico-
 Chirurgo præstantissimo*

S. P. D.

Dignus admiratione est Vterini hydropis
 euentus ille, quem tuæ coniugi, Vir præ-
 stantissime, feliciter accidisse, ante aliquam-
 multos menses inaudiij. In memoriam is certe
 mihi nostratis cuiusdam nobilis Matronæ e-
 xemplum reuocauit, quæ bis terte circa me-
 dium gestandi vteri tempus, humore pedes i-
 nitidò, tùm sursùm rependo abdominis regio-
 nem vndiquaque deducente, octo circiter vel
 decem hebdomades antea, quam parturiret,
 abortum fecit, aliquot antè diebus iam enecto
 foetu, putridoque, cum effusâ stagnantis aquæ
 copiâ, excluso. Nimirùm huic, quod de Mor-
 bis muliebribus scriptum reliquit Hippocrates
 vsu venit: Si, inquit, hydrops inuaserit, muliere „
 vterum gerente, corrumpit foetum & eiicit, „
 cumque eo aqua effunditur, & mulier plerum- „
 que moritur. Ea enim matrona tertia licet vice
 abortum faciens, euasit tamè. Quarta verò, cū
 foetum iam putrescentem enixa permagnam
 aquæ molem reiecisset, dissipatis spiritibus,
 lapsisque viribus, viuere desit. Quî factum
 ergo, quòd tibi Medico-Chirurgo felicis-
 simo, tantum periculum domestici puerpe-
 rij adeò felieiter cessit, vt matre ante & post
 partum perbellè conseruata, mascu-

lo puello, eoque viuido, robusto & integro, quódque mirari quis iure possit, hoc ipso tempore reliquis tuis liberis valentiore, sis exhiberatus? Inquit in Metaphysicis Aristoteles ὅτι τὸ θαυμάσιον οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἔβουλον φιλοσοφῆν. Quanquam autem morborum affectionum descriptiones, iis causarum plenissimè explicatarum fundamentis impostæ esse videri queant, vt particularium casuum nulla subesse admiratio debeat: quia tamen vti impræsentiarum duntaxat meritò subest, & complura aliàs eueniunt, quæ à generalibus Medicarum legum canonibus aberrant, non abs re fuerit causam huius præsentis euentus paulò altius perpensam, ex generali Hydropticæ Oeconomia deduxisse.

Generatim igitur tria quæremus. Quæ hydroptis, Quæ specierum eius sit causa, Quóque pacto humor in abdomen & pedes translatus in tumorem eos attollere sit solitus.

- I. Quæ ergò Hydroptis causa est? Humor is vti saltem humidus vaporis nimia abundantia, seu su id ipsum loquente, Gal. 6. aph. 8. Celsus lib. 3. 21. Humorem autem læsa sanguificatio procreat. Gal. Prognost. 1. 7. Sanguificationem lecoris, non venarum duntaxat eius, sed Parenchymatis frigida intemperies labefactat. 5. de loc. aff. 7. 6. de loc. aff. sub initium. Frigida intemperie Iecur tum primò afficitur ex propriis causis, tum aliarum partium, Ventriculi, Lienis, Renum, Pulmonis, Vteri consensu, 5. de loc. aff. 7. Prognost. 1. 7. Alexander lib. 9. 2. Paulus lib. 3. 48. Hæc series causarum se mutuò antecedentem.

Quæ Hydroptis efficiens causa.

recedentium. Quæ verò tum primò affi-
ciunt, tum aliarum interentiu partium, in
duplici differentia existunt. Vel enim per
se agunt, refrigerando: vel per accidens,
calesciendo, aliòve modo, calorem Hepa-
tis exterminando, vnde frigiditas: vt non
magni momenti controuersia sit, à calore
aliis, aliis à frigore induci hydropem conten-
dentibus.

Quo pacto autem læsa sanguificatio a-
quosum humorem procreat? Id cognosce-
mus, si ad conctionis & sanguificationis di-
stinctos gradus attenderimus. Calor enim
rem concoquendam aggressus, vtile ab inu-
tili, purum ab impuro pro generali eius con-
dione, quæ est congregare homogenea,
disgregare heterogenea, separat. Abhinc
dimisso inutili, vtile duntaxat subacturus,
omnesque partes eius perfectè commixturus,
eas ipsas initiò Penetrat, tum inuicem Dirimit.
tertio diremptas ad mutuam quasi nouam mi-
scelam Elaborat, quartò elaboratas, tan-
quam sequester quispiam per mutuas Substan-
tias Ducit. Vnde tandem Vnio, quàm priùs,
perfectior.

Hi caloris concoquentis agones sunt,
pro rei coquendæ varietate inter se quoque
differentes: quos obit si integrè, si integer
fuerit. Sin labefactatus, orditur quidem opus:
non autem perficit, sed partes diremptas ob
imbecillitatem nec præparat sufficienter, nec
præparatas nectit inuicem & vnit, quæ iam
causa est, vt tenuiores à calore dimissæ

*Quomodo
serum hy-
dropicum
generetur:*

diffluent, residuæ crassiores venas op-
pleant.

Paracelsi
sententia
de causa
Hydropis.

Vide & nota

Horstium

in Compluribus

Navelli Do.
nati f.

692.

Hæc Græcorum Medicorum sententia
est, à qua Theophrastus Paracelsus, quem
accuratæ medicamentorum præparationes
iure commendant, non parum recedere
videtur. Eius tamen Philosophemata, κατ' ἑμπε-
δόξαν, vel cum Græcis eadem sunt, vel, ut nihil
dissimulem, iis deteriora. ὅσπον γὰρ ἀποτιμᾶν τὴν
ἀλΐθειαν. Etenim proximam hydropis causam
dicit esse sal aluminosum Hepatis, vel alterius
principalis partis: quod cum vi penetrandi ac-
cutissima polleat, resolutum per Hepatis regio-
nes subinde coletur, id quod à crassa & incoacta
materia fieri haudquaquam posset. Resolui au-
tem propter diuersas causas.

1. Ab influentia interni cœli hominis, vi-
tute Solis & stellæ hydropicæ Zedos, à qua
pluvia interna mota, salque attingens, illud
ipsam frangat, & dissoluat, ut niuem Sol
Eandem enim cœli, totiusque vniuersi ha-
bitudinem, qualis in magno mundo est, non
allegoricam duntaxat, sed realem in corpore
humano inesse.

2. A propria natura salis, qua ut res qualis-
bet in putrefactione in aquam abit, & aquæ elemen-
tum putrescit, ipsum sal itidem tempore mi-
crocosmico elapso in resolutionem abeat.

3. A victu immoderato, qui in terram micro-
cosmi effusus, eam non minùs soluat, quàm si
cœlesti pluvia maderet.

4. Ab aliis similiter morbis, qui eandem mi-
cro-

crocosmi terram in fatalem eiusmodi resolutionem præcipitent.

Hæc summa est Paracelsi sententiæ, quæ in duobus Tractatibus de Hydrope, libro item secundo de Tartaro, tract. 2. cap. 6. extat. Nonnunquam quidem aliter loqui videtur, & affectata verborum peregrinitate nimium gaudere: iis tamen dimissis, ostendemus, quod diximus, vel eadem cum Græcis asseuerare, vel iis peiora. Eadem quidem, cum ait, Humorem proximam Hydropis causam esse, ipsumque adeò morbum, meram aquam, vel aquam resolutam. Eundem etiam humorem sal esse, quod alij per serosum & falsum humorem significant.

De Paracelsi sententiæ Iudicium.

Diuersa verò & deteriora: i. Quando sal illud aluminosum constituit. Alumē enim in humano corpore extare, affirmari quidem potest allegoricè, sed nullatenus, ne probabiliter quidē demonstrari. Discursus quidē præclari audiuntur. Sed mera verba sunt. In Physica autē & Medica arena, allegoriis niti, ἀφ' ἑσθ' ἰσθ' ἰσθ' ἰσθ'. In speciem autem verisimilis probationis Microcosmus vrgeri solet: quasi is omnium creatarum rerum quintas Microcosmi essentias complectatur: quod maximum est complurium Theophrasti dogmatum fundamentum. Id tamen si pernegetur, quanto cum fragore corruunt, quæ superstructa erant? Sin concedatur, quantum duntaxat aluminosi salis essentiam, non corpus eius, quod ab ista diuersum, inesse probabit. Vbi, quis vnquam da-

O ij

bit hydropicorum aquam aluminosi salis quintam essentiam existere? Vt haec tenens credi nequeat, hydropicorum falsum serosum humorem, sal aluminosum seu alumen esse.

2. Partium humani corporis, non ciborum sal pessum ire existimat: sed perperam. An enim hepatis, renum, lienis aliarumve partium solutum sal aquæ tam immensam copiam parturiet? Quid quod ne vnam sæpè destructam partem esse, mortuorum aperta cadauera loquuntur. Debebat tamen si fusus sal eius hydropem produxisset: non nisi post sulphur demum & mercurium sale separari solito.

3. Salem resolui dicit, & hydropem inducere. Quo id verò pacto antea, quam à reliquorum principiorum, totiùsque partis compage separatus fuerit? Vt enim largiamur ex tribus principiis compositas totius partes esse, sal tamen vel aluminosus fuerit, vel quispiam alius, neutiquam funditur, nisi à spiritus & olei complexu, terreâque compage, liber, priuatim existat. Quod quanto ignis artificio fieri debeat, Chymia docet. Prius ergo quo pacto Hepatis sal, exempli gratia, à reliquis eius constituentibus principiis discissionem faciat, docere debebat Paracelsus. Hoc autem negligens, quasi iam separatus foret, à Cœli interna pluuia, à propria eius periodo, ab inordinato victu, ab aliis ægritudinibus fundi docet. Quod tres has posteriores antecedentes causas at-

tinet

tinet, si sal merus per se existens extaret in corpore, admitti possent haut difficulter. Non autem eo existente, & ipsæ vanescunt. Quod verò primam, Cœlum internum, eiusque pluuiam, allegoria mera est, quam vt fortè Rhetores, qui verborum colores rebus induunt, admiserint: non item Philosophi. Vt quibus hætenus à Græcorum fundamentis diuersa sunt Theophrasti placita, nullis verè Philosophiæ argumentis nitantur.

Hæ causæ sunt Hydropis.

Quæ autem Hydropis specierum causæ sunt? Hydrops alius vniuersalis est totius corporis, Anasarca, Ascites, Tympanites. 3. de victu acut. aph. 3. Galenus: alius Particularis, certæ alicuius partis, pulmonis, cordis, vteri, cerebri. Sunt autem specierum iam distarum perquirendæ causæ, quas vix attingunt antiqui Medici: posteriores, satis ieiunè in solo hepate omni fabâ cusâ, vt cum illud viderent, communem hydropis auctorem esse, eidem etiam specierum causas adscriperint. Dicebant ergo ab exigua hepatis frigiditate, & imbecillitate Tympaniam, à maiori Asciten, à maxima, Leucophlegmatiam prouenire. Quanquam alij hanc à maiori, Asciten à maxima voluerint. Hæ tamen causæ nullatenus sufficiunt. Iis enim admissis, cum Iecoris intemperies non vno impetu, sed sensim ac sensim maiores vires acquirat, consequens erit, nullam futuram Asciten, quam non Tympanites & Anasarca: nulla Anasarca, quam non Tympanias antecesserit, quod absur-

II.

De causis
specierum
Hydropis.

dum. Aliorsùm ergo respiciendum est, & licet hepatis maleficio, ceu vulgatè causè omnis debeat hydrodrops, aliarum itidem concoctionum, primæ scilicet & tertiæ, pariter habenda ratio est.

Tympaniam ergo, vnà cum Hepatis intemperie, ventriculi læsa concoctio parturit. Ni enim malè coctus foret chylus, non tam facilè in flatum commutaretur. Quia verò humidior & malè cohærens partibus eius non rite inuicem mixtis & coagmentatis, quæ aquosior est, separatu facilior, à reliqua mole in vaporem abit. Annon ergo rectè Galenus 3. de symptomat. causis j. Ex ultimè virtutis, primè scilicet concoctionis collapsu, tympaniam fieri. Vbi tamen notandum, utroque affecto viscere, alterum alterius causam esse posse: Ventriculus enim labefactatus hepatis, hepar vicissim illi nocere potest, sed tùm demùm tympanites futurus, quando primè concoctionis, quæ ventriculi est, læsa, hepar itidem vel primariò vel secundariò laborat.

Leucophlegmatiam autem vnà cum hepatis intemperie, læsa partium singularum tertiæ concoctio parturit. Cùm enim à pituitoso sanguine per vniuersum fuso creetur, si à sola hepatis intemperie hæc labes penderet, venæ, singulæque partes contraxissent defectum, & malè coctum sanguinem ad debitam maturitatem reuocassèt. Quia verò tertiæ cōcoctio vitiū facit, hepatis sanguinè malè cōfectum, non meliorem reddit, sed imperfectum vt est, partibus singu-
lis

lis obtrusum præ infirmitate deserit. Rectè ergo Galenus: ex imbecillitate virium carnis totius corporis, anasarca nascitur. Siue iam à totius intemperie hepar, siue ab hepate totius partes singulæ debilitentur.

Asciten tandem sola hepatis insignis natiui caloris frigiditas parturit, vt licet alieno exæstuet, propter imbecillitatem tamen, chylum quidem probè à ventriculo elaboratum, non superet tamen, nec in sanguinem laudabilem, sed aquosum potius & serosum conuertat. Sanguificatrix vis enim opus suum exorsa, præ imbecillitate deserit, vt chyli partes inuicem diremtas, crassiores à tenuioribus ad nouam miscelam, sanguinisque formam recipiendam flectere & præparare nequeat: vndè quæ tenuiores sunt in proximas partes non distribuuntur, læsa etiam distributione, sed, vt initio dictum est, diffluunt. Hoc Galenus voluit, quādo ait citato loco, Ex sanguificæ virtutis imbecillitate, Hydropem (Asciten intelligens) nasci. Hæ causæ generalium Hydropis specierum.

Particulares autem nonnullarum partium *Particularium Hydropum causa.* hydropes dari, experientia testis est. Hydrocephalos enim capitis & cerebri hydrops est. 1. Pulmonis & Vteri meminit Hipp. lib. 2. & 4. de morb. internis. CRATO Medicus Cæsareus MAXIMILIANVM II. Imp. hydrope Cordis & Pulmonum interiisse, narrare solebat. Et nos meminimus cuiusdam *Observatio.* Phthifici aperto cadauere, pulmones tum consumi ceptos, tum copiosa, serosa, foeti-

da aqua repletos, distentósq̄ue deprehendisse, assistente eo, sectionem administrante G^EORGIO SCHONVELDERO Silesio, Medicæ rei studiosissimo. Eidein tamen venter quoque & pedes nonnihil inflari ceperant, cum in vniuersalem hydropem non infrequenter particularis degenerare sit solitus.

Iam verò, quæ causa in his partibus tam copiosum serum producat, ex hæctenùs dictis non difficulter cognosci potest. An non heic quoque Hepatis intemperies, & læsa sanguificatio negotium facessit? Facessit e- quidem, aliter licet, quàm in Hydrope vniuersali. Crudior enim & pituitosior sanguis in iecore procreatus, si pulmones vel vterum quauis de causa debiliorem inuenerint, illius duntaxat particularem hydropem, non totius, vt potè robustioris, vniuersalem Leucophlegmatiam inuehit. Potest tamè id ipsum nullo vitio aberranti hepate, à solius partis insigni frigida intemperie contingere, vt oblatum quamuis laudatum sanguinem assimilet partim, partim in serosum humorem conuertat, qui collectus sensim, hydropici tumoris auctor est. Et hæc de specierum Hydropis causis.

III. Qua verò via productum serum extrà venas in Abdominis cauum perlabitur?

Qua via serum in abdomen perveniat. Meminerunt quidem Auctores non solius *σπυγμωδὴν*, sed & apertorum, ruptorum, erorum vasorum & membranarum. Quia tamè serosus humor, neutiquam solitarius, sed sanguini

sanguini permixtus est, ruptis, vel quouis modo resignatis venis vnâ secum sanguinem profunderet, quo pacto videmus incisâ venâ, quemuis humorem obuium erumpere. Non profundit tamen. Apertis enim post mortem hydropicis, merum serum, nullo sanguine perfusum, vel membra distendisse, vel abdomen impleuisse, conspicitur.

Prætereà effuso sanguine, grauiora symptomata hydropicos vrgerent, vt inflammati corrupti humoris pernitie in præsentaneum mortis periculum, sine magna induciarum spe, præcipitarentur. Quamuis non penitus negemus, quouis modo aperta vasa eiusmodi *μετασάσεως* causam esse, affirmâtibus id ipsum cum Auicenna præclaris Medicis, tùm aliis, tùm IO. FERNELIO imprimis, Galliarum Regum, & FELICE PLATTERO Basiliensis Reipublicæ archiatri, certisque exemplis confirmantibus, Potissima ergo proxima, & immediata huius traiectus causa *διασύνδυσσις* est, qua sanguis attenuatus, rarefactis membranis & vasis, quasi transcolatur, & sudoris in modum transmittitur. Infitus enim cum influente calor debilitatus, licet serosum sanguinem vincere & concoquere nesciens, in vaporem soluit, quemadmodùm aquam ignis calore in aërem vaporosum commutari videmus. Hic vapor in tunicas impingens, tùm sua naturâ, tùm aquei humoris contagio frigidiores, easque distendens, per occultos tenues meatus elabitur, instârque sudoris in conuexa earum, vel auersa parte in aquam

concrefcit. Hæc omnis in hydrope transfumpti humoris præcipua caufa effe videtur, cui nonnunquam, vt iam conceffum eft, venarum rupta continuitas, quafi ex accidenti priorem caufam deteriore redditura, iungitur. Non tamen diffimulandum eft, quid THOMAS RODERICVS à Vega fentiat: Quo, inquit, canali defertur ab hepate aqua, flatusue, difceptabant præfci, multùsque eft in eo expediendo Auicenna. Modo comperta res effe videtur.

Cùm enim omentum peræ fpeciem habeat, vel impertufi infundiboli, & intra fe Portæ caudicem recipiat, fit vt per receptæ portæ ramos defluat, ceu in venas in omentum aqua. Hæc de modo tranfitus.

*Cur pedes
prius quàm
abdomen
tumeant.*

Quo verò pacto ille idem ferofus humor pedes occupare prius, quam abdomen confpicitur? Si cum Anafarca complicatus Ascites foret, in promptu caufa effet. Aft tùm non foli pedes, fed quæuis extrema totius, eiusdem impreffæ labis veftigia præ fe ferrent. Si dicat quifpiam, vt olim nos arbitrabamur, ferofum fanguinem in pedes diftributum, non aliter, quam in hepate eiusque venis, in vaporem primùm, tùm humorem, fudoris inftar, tertix concoctionis vitio conuerfi, & in abdomine tardiùs, propter amplitudinem eius, quàm in pedibus apparere, largitur id quidem haut difficulter, fi caufa dici poffet, cur fanguine in
fupe.

superiores quoque artus distributo, idem non fiat. Dicamus ergò humorem initiante hydrope pedes occupantem ex abdomine delapsam fuisse, idque tum propriæ gravitatis pondere, tum adiuncti vaporis tenuitate. Il enim pondere deorsum intenti adiunctus vapor per membranarum se mutuo contingentium angustias, quibus singulis vasorum generibus à peritonæo in crura transitus à natura figuratus est, viam parat: ut iis occupatis, nonnihilque patefactis, se insinuet, undarumque in modum gutta pellente guttam, per foemorum crurumque occultos, solique naturæ cognitos vasorum mœandros & ductus, ad talos usque perlabatur. Hinc est, quòd pendentibus cruribus increscat tumor; sublatis verò, reclinato corpore decrescat, aqua sursum repenti, & præcordiis pressis, dyspnææ molestias inferente.

Hinc etiam est, non sursum naturalis motus inclinatione repente humore, tardiùs inflari brachia, & tum solum, cum undiquaque extenso abdomine, sursum commens serosi humoris copia quaquaversum evadendi viam & transitum sibi parat: ubi patente ductu ad scapulas delatus, humores perlabitur, inque carpi, manuumque spatia sese infert.

Generalia hæc tenens: quæ ad speciales veterini hydropis casus adhibita, diuersorum euentuum causas ostendunt. Ut enim vidimus, proxima & primaria affectus eiusmodi

*Binorum
casuum v-
terini hy-
dropis casus*

causa est, læsa facultas tertiæ concoctionis in Vtero: quæ sanguinem à iecore oblatum, non ritè sibi assimilat, sed in serum & sanguinem convertit. Accedit subindè Iecoris læsa sanguificatio, vt nec hæc probum sanguinem producat. Ex quo principio diuersa symptomata, secundùm magis & minùs inter se discrepantia emergunt. Sæuior enim is hydrops vteri est, quem iecoris & vteri duplicata intemperies procreat: mitior, qui solius vteri vitio contingit. Quòd si ergo concipit mulier, vterùmque gerit, si duo viscera vitium faciant, nullum est mirum, infantem sæpiùs nonnunquàm & matrem ex Hippocratis sententia pessum ire. Nec enim fœtus idoneo alimento ab hepate tracto nutritur, vt tandem deccdat: nec vterus vt abortus tandem, vrgente aquarum copia, sequatur. Si ergò noxa magna fuerit, vel prima quoque vice matrem & infantem tollit. Sin minor, fœtui tamen semper periculosa & fatalis, abortiens mater nonnunquàm eoadit. Sin vtereres solum prostrata facultate laboret, iecori licèt per consensum communicato non nihil errore, euadere potest fœtus, attracto salubri sanguine: abortus etiam præcaueri, roborato vtero, & legitimis remediis ad suam temperiem reducto: vt quam collegit serosam aquam, ad iustum parturitionis tempus validè retineat, tandèmq; sine fœtus vel matris noxa excludat.

Ergò quòd tàm feliciter coniugi tuæ periculosus admodum affectus cesserit, vtero
læ so,

læso, iecinori integro adscribe, salubri propterea sanguine nutritus infans, calore eius innato per aquæ ferosæ antiperistasin magis magisque inualescente, robustior, quàm aliàs exclusus est, inque hucusque diem integerrima corporis, animique valetudine perfruitur. Quod verò fecus ille idem affectus nobilem eam matronam, cuius à me facta mentio est, habuerit, maiori Iecoris, quàm vteri læsioni acceptum fero. Erat enim insignis parsimonix honestissima fœmina, primis coniugij annis liberorum feracissima. Et quia omnium, quibus is sexus, vitæque genus nimiùm aliàs sibi indulget, penitus expers, victu minùs salubri utebatur, paruumque sanitatis, futurique periculi, frequenter licet à me admonita, rationem habebat, debilitatis vteri & hepatis per causas has procatarticas viribus, id illi, quod scribit Hippocrates, contigisse tandem, hautquaquam mirari amplius possumus.

Sic sentio vir præstantissime, pluribus non nihil verbis, vt si Phocionis iure vti velles, de iis, quæ ressecanda essent, & scires & posses cogitare. Essent nimirum complura, tùm nimis vulgata, tùm maturiore iudicio examinanda. Quia tamen cum eo mihi negotium est, qui vt Plinius ad Traianum scribit, solet meas esse aliquid putare nugas, nec linguæ modum habui, nec quas de casibus propositis cogitationes alebam, mihi retinendas existimaui.

Tu prout soles omnia benignè cōsules, que-
que probè à me, vel improbè dicta fuerint,
præclari iudicij tui censura meliora reddes.
Optimè vale, vir Clarissime, Basileæ, 22. De-
cemb. c. 15 1561X.



OBSERVATIO LVII.

De ventre viri cuiusdam post dissectionem
puris pleno inuento.

*Clarissimo atque excellentissimo viro DN. D.
IACOBO ZWINGERO, Academia Ba-
siliensis professori & Medico lon-
gè celeberrimo, DOMINO &
amico plurimum hono-
rando,*

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

DOctissimum tuum responsum, ad ob-
servationem de hydrope vterino, non
vulgaris in me amoris argumentum, vir cla-
rissime & æternùm mihi obseruande accepi,
nec sine fructu legi, ac relegi: pro suscepto,
hac in re labore, sed in primis, quod exigua
mea studia cheirurgica, præclaris ac doctissi-
mis tuis scriptis, illustrare, ac ordinare non de-
sinas, gratias habeo agoque maximas.

In


In hydropicorum cadauerum dissectionibus, vt plurimum abdomen sero repletum, atque extensum, inueni: vt plurimum, inquam, aliquando enim humorem loturæ carnis non adsimilem, reperi; veluti in matrona illa Mildunensi, & in quibusdam aliis: sed id fit quando hepar aliqua in parte exulceratum est. Tunc enim cum sero simul & aliquid sanguinis serosi in vacuum ventris exstillat. Sed quod nunc annectam, admiratione profectò dignum est. In cadauere enim quodam, abdomen pure extensum atque repletum fuisse obseruavi. Casum, quia T. Exc. speculationibus non indignum esse existimo, paucis hîc recensere non grauabor.

Iuuenis quidam robustus & vix viginti quatuor annorum ætatis, sutor, & Laufannensis incolæ, PETRVS BOVRGE nomine, cum anno 1600. messis tempore sub feruentissimo sole pluribus diebus messorem egisset, & quadam die propter sitis vehementiam, aquâ frigidâ de repente sese ingurgitasset, feбри continuâ correptus fuit: ex qua malè curatus, in cachexiam incidit. Itaque nunc tertianâ, nunc quartanâ laborauit.

Post menses octo, quum ex morbo isto diuturno vires planè prostratæ essent, omnesque partes corporis (ventrem tamen, qui admodum inflatus erat excipio) imò & ipsa crura supra modum extenuatæ essent, è vita discessit. Vocatus ego vt cadauer inciderem, in vacuo ventris non serum, multò minus humorem loturæ carnis adsimilem, sed pus

album, benè digestum, & minimè foetidum (quale ex abscessibus emanare consuevit,) inueni, Idque profectò, non in exigua quantitate, sed vltra libras vndecim Medicinales. Viscera omnia eâ quâ fieri potuit diligētia inspexi, vbi verò generata fuerit materia illa purulenta, inuestigare non licuit. Vlcus enim nullum, neque sinus, aut simile quid repertum est. Splen tamen & hepar scirrhosum conspiciantur; reliqua interiora secundum naturam sese habebant. Dissectioni interfuere Reuerendus & Dóctissimus DN. IOHANNES RHE-
TERIVS, piæ memoriæ, in schola Lausannensi linguæ Sanctæ professor longè celeberrimus, DN. IACOBVS PRVDOMMEVS apud Viuiacenses Pharmacopola exercitatissimus, & plurimi alij. De generatione autem huius puris, quid T. Exc. videatur, vt vno aut altero verbo rescribere non grauetur, etiam atque etiam rogo. Vale vir clarissime cum tota tua familia, quam tecum ego & vxor mea demissè salutamus. Paterniaci Auenticorum 1. Februarij 1610.

OBSER-



OBSERVATIO LVIII.

De apertione Umbilici in infantulo, &
in quibusdam aliis, deque maximis
inde sequutis commodis.

Ad

Eundem virum Clarissimum DN. D. IACOBVM ZVINGERVM.

QUe incommoda ex Umbilici apertione, in duobus infantulis sequuta fuerint, Vir clarissime, & multis nominibus mihi observande, in prima Centur. Observar. 52. vidisti. Ante menses verò quatuor cōtrarium in puel- lula mea, observare mihi contigit. Quādoqui- dem illa tertium mensem ætatis, nondum atti- gerat, cūm singulare beneficium ex apertione Umbilici recepit. Quum enim per multos dies morbo graviter cōfecta fuisset, ac noctes diēs- que miserè eiulasset, tandem venter ipsi intu- mit, cum manifesta duritie circà umbilici & hepatis regionem. Tensio abdominis, dolorq; adeò magnus, vt anhelitum vix trahere posset, sitis inexhausta, lingua ac labia continuò sicca asperaque erant. Ab initio ventrem & pectus *Linimen- tum.* oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborū, & pinguedine caponis & hominis, quibus pa- rum olei rosarum (corroborationis causa) ad- mixtum erat, inunxi. Et quia dolorem ma- gnum, & flatus multos in intestinis adesse, ex

P

eiulationibus infantuli, & intestinorum mur-
mure, facile mihi conicere licuit, sequens
Cataplasma anodynum, & flatus discutiens, ap-
plicui.

*Catapla-
sma ano-
dynam.*

℞ farinę fabar. ℥iij.
pulu. sem. cydonior. &
scenogræci an. ℥ss.
sem. anisi
sceniculi
anethi
flor. chamomil.
meliloti &
sambucian. ℥j.

Coquantur cum decocto radicum althęe ad
formam Cataplasmatidis. Deinde admisce ol. a-
mygd. dulc. pinguedinis humanę an. ℥j.

vitellum vnius oui
croci ℥ss.

Misce, fiat Cataplasma, quod calide applice-
tur bis aut ter in die.

Per os quoque parumper ol. amygdalar.
dulc. cui nonnihil sacchari admixtum erat,
sæpissimè lambendo exhibui. Et quia tussicula
simul aderat, ac tussiendo ingentes dolores pa-
teretur, pectus præscripto linimento ex oleo
amygdalarum dulcium &c. sæpissimè interdum
inunxi, & continuè sequentem syrupum lam-
bendum propinaui.

*Syrupus
magistra-
lis.*

℞ radicum sceniculi
petrosel.
graminis &
cichorei an. ℥j.
hordei mundati ℥iij.

liqui-

liquiritiæ ℥ij.
 herbar. polytrichi
 scabioſæ
 cuſcutæ
 botrydis
 hyſſopi an. M. j.
 agrimoniæ
 veronicæ an. M. j. ſ.
 flor. trium cordial. &
 chamomil. an. M. ſ.
 ſem. aniſi
 ſceniculi an. ℥j.
 paſſul. enucleat. &
 ficuum an. ℥ij.

Coquantur in ſufficienti quant. aq. ad con-
 ſumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde mel-
 lis cum prædicto decocto, ℥ ſ. ſacchari miſ-
 cellanei clarificati ℥ j. Fiat. ſ. a. ſyrupus.
 Seruetur in vaſe vitreo diligenter clauſo.
 Quum verò tumor ac tenſio circa vmbilici he-
 patifque regionem accreſceret, & pus ſubeſſe,
 manifeſtè appareret, ſequens Cataplaſma ap-
 plicui.

℞ farina tritici ℥j.

far. ſem. lini

ſcœnogræci an. ℥j.

fermenti

axungie porci

vngu. baſilicon. an. ℥ ſ.

ficuum ℥j ſ.

Cum decocto radicum althææ fiat Cata-
 plaſma, applicetur calidè. Quo catapla-
 ſmate per dies aliquot admoto, vmbilicus

P ij

Catapla-
ſma.

paulatim in tumorem eleuatus est, quóque tandem rupto, multum humoris serosi ac puris, spacio quatuor hebdomadū continuò extillauit. Umbilicus quāprimūm ruptus fuit, symptomata paulatim remitti cœperunt: interim nihilominus syrupo præscripto infans quotidie utebatur. Matrem verò per interualla syrupo ros. solut. composito cum Rhabarb. Agar. & senna expurgaui: & vt optimam victus rationem obseruaret, operam dedi. Sic diuina Clemētia conualuit puellula, & nunc vnà cum matre bellè se habet.

Arbitror autem humores hosce serosos, non solūm ex vacuo ventris, verūm etiam ex ipso hepate per venam vmbilicalem ad ipsum vmbilicum confluxisse, atque inde extillasse. Id enim si in adultis, quibus vena vmbilicalis in ligamentum degenerata est, aliquando accidit, quemadmodum in quadragenario accidisse vidi, vti Obseruat. 47. Centur. 1. declarauit, nonne multò facilius id in infantulo, cui vena hæc nondum corrugata, atque in ligamentum indurata erat, fieri potuit?

Cæterūm de apertione vmbilici in puellula hydropica, exemplum non minūm singulare quàm annotatione dignum, Clariss. atque Doctiss. D. D. ABELVS ROSCIVS Medicus apud Laufannenses celeberrimus, non ita pridem ad me scripsit, quod hîc annectere visum est.

Cūm apud Allobrogos, inquit, Medicinam facerem, puellam annos sedecim natam, Af-

cite

cite laborantem, videre & inuisere, mihi contigit. Cui cum ob ventris tumorem immodicum, sitim inexhaustam, anhelitus difficultatem, maximam virium imbecillitatem, ac domus suæ paupertatem, de remediis salutiferis, & vera curatione, in tam conclamato morbo, adferendis, dubitare cœpi, præsentemq; potiùs illi mortem imminere, parentibus significavi. Paucis ab hinc diebus, die quadam Dominica summo mane hoc contigit, vt parentes & domestici vicinique omnes, cum officium sacrum (vt vocant) adiuisent, ægrâ solâ in domo relicta, sitis acerbissimæ impatiens, se è lectulo satis humili, statim in solum deiicit, & fontem, qui non procul distabat, pedibus manibúsq; repens, petit, ac lymphâ purissimâ, gelidâq; ternis vel quaternis iteratis vicibus, sitim suâ explere tentat: ad anhelitus ferè suppressionem repleta, domum repetere nō valens, illicò iuxta fontem in terram decumbens, ex vmbilico rupto, sponte copiosa prorupit aqua. Hæc tandem filia, à Parentibus, è templo redeuntibus, semianimis domum, & in lectū reportata, paulò post leuibus adhibitis auxiliis, sana euasit, & conualuit. Hactenus D. D. ROSCIUS.

Ego Quadragenarium Ascite laborantem, cui vmbilicus ruptus fuit, sanitati restitutum fuisse obseruavi, vti Centur. 1. Obseru. 47. fusiùs declaravi.

ANTONIUS BENIVENIUS simile habet exemplum. ANDREAS LAVRENTIUS plura adfert, punctio enimque vmbilici

P iij

*Historia
singularis
de apertio-
ne Vmbi-
lici.*

*in opul. akator
p. 84*

in hydropicis, eâ, quæ fit, sub vmbilico sectione præferendâ esse censet: nec immeritò. Est enim via aptissima, ad euacuandum humores ferrosos. Nõ enim è vacuo vëtris solummodò, sed & nonnunquã ex ipso hepate, per eãdem viam humor noxius euacuatur, in primis verò, si vmbilicus intumuerit, & vena vmbilicalis dilatata fuerit. Id tamẽ rarissimè fieri posse, certum est, cum vt sciunt Anatomici, in adultioribus in ligamentum sit redacta. Sin autem vmbilicus retractus, & in tumorem minimè eleuatus fuerit, non facilè ipsius punctiõnem tentaremi. Quò enim natura, inquit Hippocrates, maximè vergit, eò ducere conuenit. Non extuberante verò vmbilico, vix spes aliqua est, naturã viã hancce affectare. Quapropter præstaret locum minùs suspectum eligere, & sectionẽ sub vmbilico administrare. Si enim in ipsa punctiõne vmbilici, vena aut potiùs ligamentum abscinderetur, de hominis vita actum esset, vti D. LAURENTIVS lib. 1. cap. 8. testatur, & nos Obseru. 53. centur. 1. exemplo demonstrauimus. Extuberante itaque vmbilico, punctiõnem absque periculo, & maximo cum commodo fieri posse, non extuberante verò, periculosam esse existimo. Tua verò Excell. hac de re quid censeat, intelligere cupio.

Porro vt T. Excell. casum illum grauissimum capitis, quem nuper Basileę mihi monstrauit, penitùs adumbrare atque communicare non grauetur, etiam atque etiam rogo. In quadam Epistola, quam ad Clariss. atque Doctiss. virum D. IANVM DE BUR-

60 Medicum Gallum dedi, de eo mentionem feci. Et quia Epistolam hanc Centuriæ meæ forsân inseram, apographum prius ad T. Exc. mittere constitui, vt, an illam tuo cum consensu diuulgare possim, intelligã. Rescribe itaque quæso quamprimum. Vale vir clarissime, & me vt facis, ama. Paterniaci Auenticor. 2. Martij. Anno 1610.

T. Excell. addictissimus & obsequentissimus

Guilhelmus Fabricius Hildanus.



OBSERVATIO LIX.

Que in dissectione fœtus obseruatu digna reperta.

ANno 1605. Matrona quædam honesta, sed cacochymica, circà quintum mensẽ impregnationis, parturientium doloribus correpta, post maximos ac diuturnos conatus, gemellos cum multa aqua enixa est, fœmellam scilicet ac masculum. In masculo autem disseccando, sequentia annotaui.

1. Abdomen non secus ac hydropticorum, aqua impletum erat.

2. Testes extrà abdomen non propendebant, sed in ipsa ventris capacitare residebant, & quidem eo loci, in quo vasa spermatica ad

P iiij

scrotum descendunt, Vasa quinetiam spermatica tam brevia erant, vt extrà ventrem pro- pendere non potuerint. Vasa verò deferentia paulò longiora, quàm pro naturæ ordine sole- bant, conspiciebantur. Itaque natura, quantum vna in parte deficiebat, in altera superabun- dabat. Testes denique, & vasa spermatica præter naturæ ordinem valdè rubicunda erant.


3. Hepar suprà modum magnum, inflatum, aliquo modo liuidum.

4. Mesenterium similiter, vti & renes inflati.

5. Vrachus pulchrè conspiciebatur, cauitatem tamen nullam in ipso, neque stylo, quamuis subtili adhibito, imò nec vesica inflata, appar- bat.

6. Vesica rugosa planè & vacua erat, præterquam quòd humor viscidus ei ad latera nec secus, ac in intestinis videre licet, adhæresce- bat.

7. Cutis vndique maculis liuidis, quales in febribus pestilentialibus conspici solent, con- sperfa erat.




OBSERVATIO LX.

Menstrua in puella, undecimo ætatis sue anno erumpunt.

Menses vt plurimùm anno decimo qua- to, aut decimo quinto solèt prodire: ratione

tionem huius rei reddit Hippocrates lib. de septimestri, & octimestri partu: nimirum, quod ante hanc ætatem venæ angustiores sint, ita vt sanguis liberè permeare nequeat. Quibus verò maturiùs erumpunt, sunt vitæ breuioris, inquit Syluius, contrà quibus tardiùs, diutiùs viuunt. Ego mercatoris & ciuis Coloniensis **PETRI von VValde** hominis probi & pij filiam cognoui, cui anno vndecimo ætatis suæ menstrua fluere cœperunt, quæ quatuor aut quinque mensibus ordinatè fluxerunt. Postcà verò iis retentis, in cachexiam incidit, & paulò post anno videl. 1599. peste correpta, obiit. Puellæ huius mater, matrona pia ac honesta anno duodecimo ætatis suæ menstruis inceperat laborare, illa ipsamet mihi aliquando retulit. Hæc etsi dùm in matrimonio vixit, morbis plurimùm obnoxia fuerit, viuit tamen adhuc ad hunc usque annum 1608. Multos progenuit liberos, & nunc quinquagesimum annum ætatis prætergressa est.

Lib. de mē-
sib. mulie-
rum.




OBSERVATIO LXI.

*Menstrua ad annum vsque septuagesimum
oetatum profluunt.*

Menstruorum fluxus naturaliter desinit circà annum quadragesimum quintum, aut quinquagesimum, rarissimè ad sexagesimū annum ætatis, ob caloris diminutionem protrahitur.

Cognoui tamen nobilissimam ac piam matronam MARESCHALKIAM PLETTENBURG ex KETLERIS natam, cui menstrua ad annum usque septuagesimum octavum ætatis, (quæ refero, ex ipsius ore habeo) ordinatè profluxerunt. Quo anno, quùm ab ordine discedere, & inordinatiùs prodire cœpissent, in febrem continuam incidit. Cùm vero natura per criticam expulsionem sese in crus sinistrum exonerasset, exorta est inflammatio, & dolor maximus. Ego unà cùm doctissimis viris D. HENRICO BOTTERO Illustriss. Iuliacensium, Cluvenesium & Montensium Principis Doctore Medico, & D. IOHANNE KVENIO BREIDENBACHIO Doctore Medico Coloniensi, vocatus, Gangrænam crus iam inuasisse comperimus. Ex qua paucos post dies Coloniæ, nimirum 20. Nouemb. 1590. piè & placidè à vita discessit. Fuerat matrona illa sanguinea, robusta & morbis parùm obnoxia, interim tamè sterilis.



OBSERVATIO LXII.

Ex suppressione menstruorum, inflammatio colli matricis.

ANno 1587. nobilis & honestissima quædam matrona Laufannensis, cùm Genevæ mēstruorum fluxu laboraret, & subitò nescio, quo horrore, correpta fuisset sursū facto sanguinis refluxu, menstrua illicò suppressa fuerunt.

fuerunt. Paucos post dies sequutus est dolor vehemens partium genitalium. Vocatus ego vnà cum Clarissimo ac longè celeberrimo viro D. IANO ANTONIO SARAZENO, Medico regio, speculi matricis beneficio, ingentem inflammationem in collo matricis deprehendimus, quam iniectionibus syphone, quotidie bis aut ter factis, aliisque remediis, prout necessitas urgebat, feliciter sanauimus, quæ postmodum multos annos incolumis vixit.




OBSERVATIO LXIII.

Ex menstruis suppressis, vlcus in collo matricis exortum.

ANno 1586. cum nobilis quædam matrona Lausannæ suppressione mensium, bimestri spatio laborasset, tandem exortus est dolor & inflammatio partium genitalium. Morbo propter verecundiam neglecto, abscessus & vlcus in collo matricis sequutum est: huic quidem multa & varia medicamenta à variis Medicis & Empiricis, absque tamen omni fructu, adhibita fuerunt. Biennio post, vnà cum doctiss. viro D. IACOBO AVBERTO VINDONE, apud Lausannenses Medico longè celeberrimo, vt de curatione instituenda, consultarem, vocatus fui. Adhibito matricis speculo, vlcus callosum, foetidum, inæquale liuidumque, & vt verbo dicam, cancrosum, inuenimus, quod minimè nobis tangendum existimauimus. Vocatus postea Empiricus Morgiacensis, mira

ipfi pollicitus erat. Sed adhibitis medicamentis acerbis, auctus est dolor, aucta & febris, inflammatio, vigiliae, cibi fastidium & syncope, ut deinde paucos post dies e vita discederet. Accersitus itaque denuò cum dicto Medico, ut dissecaremus cadauer, totum collum matricis planè cancrorum & exulceratum offendimus.




OBSERVATIO LXIII.

Ex suppressione mensium, inflammatio, & gangraena colli matricis.

ANno 1596. Honestæ cuidam matronæ Genevæ menstruis laboranti, nescio quâ pauore subitò correptæ, illicò menstrua fuerunt suppressa, Undè mox inflammatio & dolor vehementis exortus est. Ego post dies aliquot, cum doctissimo viro Dom. ESAIA COLLA DONIO Doctore Medico, & in Gymnasio Genevensi Philosophiæ Professore celeberrimo vocatus, collum matricis lividum, & gangraenâ correptum deprehendimus. Febris vehemens, & syncope frequens aderat. Adhibuimus nonnulla, sed absque fructu; obiit enim undecimo die morbi.

OBSERV.



OBSERVATIO LXV.

De urinæ retentione, in qua plurima obser-
uatione digna occurrunt.

*Viro Clarissimo Doctissimoque D. PHILIB. SA-
RAZENO Doctori medico, magni illius
IANI ANTON. SARAZENI F.
amico singulari,*

cui

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

QUod de Dysenteria vestra gravissima cõ-
municasti scriptum, vir Amplissime, do-
mine & amice summoperè honorande, gratis-
simum mihi fuit, quod & in Tractatu meo de
Dysenteria, quem nunc præ manibus habeo,
locum honestissimum habebit. In usu aquæ
chalybeatæ te cum CRATONE non consenti-
re video, nec immeritò. Quandoquidem tan-
tus vir, vt acceptam atque probabilem hancce
nouam suam opinionem ac paradoxon redde-
ret, suas rationes debebat addere. Aristoteles
tamen lib. proble. & Auicen. lib. 1. Fen. 2. doct. 2.
cap. 16. tecum minimè consentire videntur.
Aquam enim in coctura subtiliorem & rario-
rem fieri, docent.

Ego tamen, vt ingenuè fatear, in Dysenteria
illa populari, quæ superioribus annis apud nos
grassata est, cum fructu ægrorum, ab usu aquæ
chalybeatæ me abstinuisse, ausus sũ affirmare.
Cæterum quia te circà res medicas observa-

tione dignas curiosum esse sciam, historiam hanc de retentione urinae non communicare non libuit. Illa autem sic se habet.

*Historia de
urina re-
tentione.*

DAVID ROMAY civis Paterniacensis, annos 80. & ultra natus, cum ex nimio vini recentis usu 13. Nouemb. anno 1606. suppressione urinae, & dolore colico, corripere cepisset, nullis remediis in diem 12. usque morbi sui, usus fuisset, tandem extrema necessitate urgente, die videlicet 12. dicta, quae 24. Nouemb. erat, me accedere coactus fuit. Tum hominem in lecto, febricitantem, miris cruciatibus ac doloribus afflictum, viribus quinetiam prostratum, cum ventris tumore magno, duro, tenso, ac renitente, ab osse pubis ad regionem fundi ventriculi & hypochondriorum ferè usque gravidae instar, offendi. Ego illicò sacculum ex herbis, radicibus, feminibus emollientibus, relaxantibus ac urinam mouentibus præparavi, & aquam coctam calidè applicui. Cathetere deinde per ductum urinarium in vesicam immisso, libras quinque urinae cum unciis quatuor medicinalis ponderis, extraxi. Unde afflictus & decrepitus homo mirum in modum allevatus fuit, tumor quoque ventris multum subsidit.

Die sequenti, videlicet 25. Nouemb. Enema emolliens, leniens, ac anodynum ipsi exhibui, catheterem quidem intrusi in vesicam, urinae tamen nihil emanavit. Hinc denuò auctus est dolor, & tensio ventris.

Vigesima tamen sexta die, quum rursus catheterem per meatum penis in vesicam immissem, & libras sex urinae elicuissem, protinus dolor

dolor

dolor & tensio ventris cessauit.

Vigesimâ septimâ, denuò catheteris beneficio vrinæ ℥vj. profluxêre. Id quod sanè mirandum, quomodo vesicę corpus tam exiguum, ita extendi potuerit, vt tantam vrinę copiam contineret. Vndè non mirum miserum huncce senem, tã diris cruciatibus vexatum fuisse, quùm vesica pars maximè sensilis, & tanta vrinæ copia, tantoperè fuerit distenta.

Die 28. circà meridiem rursùs cathetere immisso, postquam vrinæ ℥iiij. cum ꝑ iiij. extraxissem, sub finem circiter ꝑj. puris subsequuta est. Postea clystere leniēte & anodyno iniecto, bis aluum exoneravit, indèque maximum leuamē persensit. Sub vesperam verò horâ nonâ adhuc semel cathetere in vesicam indito, vrinę ℥iiij. vti quoque sub finē, puris cyathum plenum, prolexi, citrà tamen vllam sanguinis excretionem, vti præcedentibus vicibus, quibus semper quoque multùm sanguinis effluxerat. Ex quibus signis facilè cõiicere licuit, abscessũ in vesica delituisse, eiúsque venulas propter extensionem ab vrinæ copia factã, ruptas fuisse.

Die 29. matutino tempore aliud Enema emolliens & anodynum inieci, & circà meridiē per immissum catheterem, vrinę ℥iiij. & ꝑvj. cum cyatho puris pleno, vti & sub vesperam libras quatuor & vncias octo cum pauxillo puris, extraxi.

Die 30. Nouembris manè cathetere, vrinæ ℥ij. cum multo sanguine admixto, sub vesperâ verò cyathos tres vel quatuor elicui. Verùm antequàm vlteriùs progrediar, id notandum; *Nota.*

etſi catheter difficulter immitteretur, paruo tamē & exili cathetere me nunquā propter obſtacula, quæ circa ſphyncterem latitabāt, in vaſcum veſicæ peruenire potuiſſe, craſſiori vero imò qui craſſitiem pennæ cygni adæquabat multò faciliùs. Ratio forſan hæc reddi poteſt quia cùm ductus vrinarius circa veſicæ collum imò & ſphyncter ipſe propter ſcyrrium, quæ ante oſtium colli veſicæ latitabat, vti poſtea dicemus, tumefactus eſſet, neceſſariò in perinæo coarctatio & anguſtia ipſius ductus vrinarii ſequebatur. Porrò exilem & minutum catheterem hancce anguſtiam aperire atque dilatare non potuiſſe, rationi conſentaneum eſt id quod craſſioris beneficio facilius, & minor cum dolore fieri potuit.

Die 1. Decemb. manè cùm in ipſo ductu vrinario, & circa collum veſicæ obſtacula nonnulla, catheteris intromiſſionem nullomodo ampliùs admitterent, Enema emolliens, leniens, & anodynum, illi denuò exhibui, ventrem, inguina, & coxas oleo anethino, lumbricor. & chamomil. renes verò vnguento roſato inunxi. Dein à prandio ſemicupium ex radicibus, herbis, floribus, ſeminibus emollientibus relaxantibus, & dolores lenientibus præparavi. In quod cùm deſcendiſſet æger, & per horæ quadrantem reſediſſet, vrinam ſpontè excernere cœpit, indèque leuamen non exiguum perſenſit.

Die 2. Decembr. manè illi ad ʒ ij. therebinthinæ Venetæ exhibui: ventrem, inguina, coxas & renes prædictis oleis & vnguento, inun-

292
296

xi. A prandio propter doloris vehementiam, rursus illum in semicupium descendere iussi. Ex quo egressus, non solum urinam copiosè, sed vnà quoque materiam crassam, albam ac foetidissimam excreuit. Sub noctem verò quia aluus non respondebat, denuò illi Enema ini-
ci, Qua nocte aluum ter exonerauit.

Die 3. nō nihil aquę nostræ diuretici illi propinaui, & partes prædictas bis quotidie inuaxi. Medicamentis hisce Deus Opt. Max. ità benedixit, vt deinceps semper urinam, simul & purulentā atque foetidā materiā sponte & absque dolore aut impedimento redderet. Ventrē nihilominus & renes quotidie, vti dictū, inūgere iussi. Verūm pro mūdificatione & absterfione renū, vesicę, & meatuū vrinariorū, die 5. Decēb. ʒij. therebinth. Venetę illi exhibui. Et quia tumor ille durus è regione vesicę nondū penitus sublatus erat, sacculū ex radicibus, herbis, floribus ac seminibus emollientibus, resoluētibus, & flatus discutientibus, bis aut ter interdū calidè applicare imperaui. Tumor tamē ex huius sacculi applicatione, cum vrinę illius foetidę ac purulētę excretionē ad 17. diē mēsis Decēb. persistebat, quā tandem paulatim tumor subsidere, vrināque aliquantū clarior ac purior fieri, foetorūque remittere cœpit. Intereā tēporis aluo non respondente, modò clysteribus, modò suppositoriis, modò puluere mechoacę ʒj. cum iusculo carniarū recentiuū vtebatur. Hinc vētris dolores sedati fuēre: vrinā quoq; absq; difficultate, sed inuoluntariē reddebat. Die 6. Ianuarij 1607. leuis quædam diarrhœa ad dies 4.

Q

vel 5. durans, superuenit, quæ tamen, postquam ipsi quotidie ter aut quater parùm aquæ cinnamomi absque vino destillatæ cum confectione alkermes, exhibuissem, cessauit.

Vrina per aluum excretio. Circà diē 9. Ianuarij vrina per secessum, nunc seorsim, nunc verò mixta excremē is, & quidē inuoluntariē effluere cœpit, neq; amplius per penem eā reddidit. Dolor tamen nullus ad renes, virēsq; pro ætate constabant, nec appetitus ad modum prostratus vsque ad 18. Ianuarij quâ tussiculâ siccâ correptus, vires & appetitus paulatim ita diminuebantur, vt 30. Ianuarij, pacac placidè animam Deo reddiderit. Aperto caduere scirrhum magnitudinem oui gallinacæ adæquantem, vnciasque duas pendentē in ipsa vesica, & quidē ante collū ipsius tenaciter ad hærescentē, inueni. Ex cavitare prætereà vesicæ vsq; in intestinū rectū vlcusculū cōspiciebatur rotundū procul dubio ab vrina purulēta & fetida exesum. Corpus itē vesicæ circà ipsius collum, vti quoq; intestinum rectum liuidum, & vterque insignis magnitudinis exterius vesicæ lis quamplurimis seroso humore scatentib. apparebant. Hepar denique in parte caua durum ac scirrhosum viscebatur.

Qua post mortem in dissecto cadauere, obseruata.

Curationi sæpissime interfuere Reuerendissimi D. IOHAN. MERVLA huius loci verbi diuini minister fidelissimus, Doctiss. D. EMANVEL VRSTISIVS Liberalium artium Magister, D. DANIEL TAVELLVS Scholę Paterniacēs. Ludimoderator, Nobil. IACOBVS DE BRVEL, & quamplurimi alij, quorum & maior pars dissectioni cadaueris interfuerat. Vale Vir clarissime,

me,
Die

Ad

C

Ex
spo
gan
tiff
cel
tar
sti
fal
Ex
fin
tu
fi
zi
co
qu
nu
c
S.
D

me,

me, & feliciter viue diu. Paterniaci Auenticor.
Die 4. Julij 1608.

*Ad eundem Clarissimum atque doctissimum vi-
rum DN. PHIL. SARAZENVM
Medicum celeberrimum,*

GUILHELM. FABRICII HILDANI
Epistola,

In qua de retentione urinae agitur.

Quod Diuina prouidētia, Clarissime, plu-
rimūmque mihi obseruande, Dn. D. Tuā
Excellentiam, cum genere & virtute nobili
sponsa prouiderit, ditaueritque, maximo cum
gaudio ex Dom. SARAZENO Syndico pruden-
tissimo, intellexi. Faxit Clementissimus pater
cēlestis, pacis author, vt pacificē felicitérq; vi-
tam in multos annos, ad Dei, & Ecclesiæ Chri-
sti gloriam, ædificationem proximū, vestrāmq;
salutem simul traducere possitis. Vtinam tuam
Exc. antequam Geneuā discedet, inuisere pos-
sim: sed detineor etiam nunc Basileæ, & qua-
tuor elapsi sunt menses, à quibus apud Serenis-
simum Principem DN. IANVTIVM RAD-
ZIVILLIVM &c. morbo grauiter confectum,
continuò fere hæreo, Fere inquam, quando-
quidem ante duos menses in agrum Augusta-
num, ad Generosum virum DN. ZA-
CHARIAM GEITZCOFFLERVM &c.
S. Cæsar. Maiestatis, & Regis Hungariæ,
Ducūmque Austriæ Consiliarium pruden-

Q ij

tissimum (cuius superiori anno, cum T. Exc. Lugduni inuiserem, mentionem feci) vocatus fui. Iter hoc, diuinâ gratiâ, feliciter, & cum laude perfecit. Augustæ, vti & Vlmæ, non solum ex literatis, & primariis nonnulli, verum etiam senatus ipse humaniter me excepit, maximisque honoribus affecit. Sed vt ad Generosum virum DN. GEITZCOFFLERVM redeam, in ipsius vesica lapides reperti fuere duo, rubri coloris; quorum vnus dragmas tredecim, alter dragmam vnâ & semis pendit. Porrò etiam si corpus propter longos ac continuos dolores extenuatum esset, vires quinetiam prostratae nihilominus tamen tam feliciter successit operatio vt nihil supra: sed & in illa, singulari Dom. ægri magnanimitas, non parum nobis profuit. Tanta enim erat animi ipsius constantia, vt ante operationem ne vllum quidem in ipso terroris indicium appareret; in ipsa vero operatione, vix membrum aliquod mouere multò minus exclamaret, quin potius adstantes suâ constantiâ, omnes in admirationem raperet. Ante & post operationem ipsemet precationem ad DEVM OPT. MAX. pro felici successu operationis, & curationis, tam eleganter, tamque doctè fecit, vt Theologum, non potius cum loqui dixisses.

Denique post reditum meum Basileam vnâ cum Clarissimis doctissimisque viris DN. FELICI PLATTERO, & CASPARO BAVHINO Medicinæ Doct. longe celeberrimis, casum vidi, qui cum isto cuius ante triennium in meis ad te lite


ris, mentionem feci, affinitatem aliquam habet. Illum, ne vacuas planè ad te mitterem literas, tribus saltem verbis, hîc recensere volui.

Nobilis quidam, non obscuri nominis, vir *Observatio.*
 pius & doctus, duobus ab hinc annis, retentione urinz sæpiissimè tam grauitè laborat, vt aliquando per dies multos continuo exclamare eiularèque coactus sit. Tum vrinam albam, turbulentam, maximo cum ardore, & dolore in perinæo, & circa sphincterem, guttatim reddit. In glande tamen, vt calculosis accidere consuevit, exiguum percipit dolorem. De dolore renum, etiamsi ante biennium lapillum lentis magnitudine excreuerit, nunquam tamen conquestus est. De hoc morbo variæ sunt opiniones, atque iudicia. Nonnulli enim calculum, alij vlcus in vesica adesse existimant. Ego extuberantiam aliquam carnis, aut scirrhum in ipso vesicæ corpore, eamque sphinctere ex parte adhærentem, autumo. Immisso enim in podicem digito, manifestam duritiem in vesica percepi. Calculum tamen non esse inde conieci, quod immobilis sit, neque in medio vesicæ, sed ad latus, nimirum sinistrum, reperiatur. Calculus enim si esset, non in vno aut altero latere, sed in medio, & ante ductum ipsum vrinarium, reperiretur, mobilisque esset. Deinde in vesicam immisso cathetere, nullam contra calculum allisionem percipere potui.

Q iij

*Nota.**Supra
p. 290.*

Præterea (quod notandum) paruo, & exili cathete in vesicam peruenire minimè potui, & ante me lithotomus quidam, non vulgaris, exili cathete ad ipsam peruenire non poterat. Quum verò cathete qui crassitiem pennæ Cygni adæquat opus aggressus fuisset, facillimè in vesicam perueni, ita vt vrina per instrumentum copiosè efflueret. Idem mihi in vultu isto, de quo aliàs ad T. Exc. scripsi, (in cuius vesica, post mortem scirrhus magnus inuentus fuit vt Obseru. 65. huius Cent. declarabitur) accidit & obseruare licuit. Plura addere non licet, propter tuas & meas occupationes. Vale itaque Vir amplissime, cum dulcissima tua sponsa quam tecum, ego & vxor mea peramanter salutamus. Raptim Basileæ 2. Augusti 1610.



OBSERVATIO LXVI.

De miranda fractura brachij.

A

Clarissimo atque Doctissimo viro Domino PHILIBERTO SARAZENO apud Lugdunenses Medicina Doctore longè celeberrimo obseruata mihi-que communicata.

Postremâ epistolam tuam, perquam lubenter legi, Vir clarissime, imò lubentissimè per-

perlegi eam, quæ adiuncta erat, raram sanè & insignem Observationem. Sat noui pridem, quanta sedulitate in artis opera continuò incumbas. Tua ista diligentia indies increfcere videtur potiùs, quàm vt vel per ætatem, vel per alia artis incommoda, detrimentum capiat. Amice facis prætereà, & suprà, quàm de te meritus sum, quum solidioris istius doctrinæ tuæ monumenta nobis vltro inscribis. Vtinam sit aliquid penes me, quod in eius muneris locum aliquando pro dignitate reponatur. Quæ circà bonum illum senem in tam graui *igoueia* à te præstita sunt, sanè peritum & diligentem testantur artificem, & si qua illi spes salutis affuiffet, per ea, quæ à te celebrata fuerant, omninò erat expectanda. Sed in re deplorata nec ipse Aesculapius quidquam promouerit. Quod autem initio epistolæ tuæ ea repetens, quæ nuper de potu chalybeato in Dysenteria usurpando, ad te scripseram, videris mihi Aristotelem & Auicennam, tanquam à sententia nostra alienos opponere (pace tua dixerim) vterque ipsorum opinioni nostræ adstipulatur. Princeps Arabum eo ipso loco, qui à te citatur, disertè scribit, aquam è ferro roborandi & adstringendi vim maximam adipisci, id ipsum doctissimus Manardus Epistolar. lib. 16. epist. 5. expressis verbis edocuit. Ferrum (inquit) adstringendi & frigerandi vim aquis omninò tribuit. Quòd verò *ignitur* ferrum in aqua nostra chalybeanda, id eò fit, quò intima ferri

Q iiij

facultas in ipsam altius penetret. Vt enim decocta refrigerantia etiam febricitantibus calida exhibemus, quæ tamen à natura paulo post in actum illum refrigerandi educuntur, ita & de ferri facultatibus aquæ per calorem communicatis euenire nequaquam dubitamus. Aristoteles quum de natura ferri mentem suam expressit lib. meteoror. 4. cap. 6. illud frigidum esse, terreum atque exiccans pro confirmato habuit. Quid ergo dubitabimus, in graui & acuta dysenteria, præmissa leui purgatione, ex iis, quæ purgando adstrictionis vestigia quædam relinquunt, præcipitem humorum in aluum decubitum familiari remedio adstringente inhibere, ut ex medicorum præceptis in alimento medicamentum esse queat, & in medicamento alimentum, Laborat tum maximè retentæ facultas impensius irritata expultrice, non est vllum commodius præsidium, vtrique facultati in naturalem statum restituendæ. Desinant igitur Crato & alij, istud tam acriter damnare, aut suas afferant illi rationes, quæ nos in contrariam opinionem pertrahant. Ego interim paulisper sustinebo, neque hinc me dimoueri patiar, si nobis hac de re, quæ sentis, liberè & fusiùs expresseris, inde fortassis dabitur occasio, pluribus cum maiore otio, per literas differendi.

Cæterùm ne inanem ad te mittam epistolam, quæ nihil rerum nouarum oculis tuis obiiciat, describam tibi tria, obseruatione dignissima, quæ

quæ nuperrimè sese nobis obtulerunt.

Primum hoc erit. Vir quidam Lugdu-^{Observa-}
 nensis sexagenarius ex arthritide pituitosa in ^{tioprima.}
 articulis humeri & cubiti dexteri, iam ferè
 bimestre spatium obtuso dolore torque-
 batur: nullis vtitur remedijs, solam sibi partis
 illius quietem imperat, dùm brachium affe-
 ctum fasciâ obuolutum, & pectori innixum
 continuò haberet. Is alioquin sanus & va-
 lens, in publicum hora circiter diei octaua
 progressurus, dùm chirothecam in manum
 affectæ partis induere leuissimo conatu adni-
 titur, brachij os quatuor aut quinque digitis
 infra humerum transuersim effregit. Voca-
 tus ego confestim, rem non sine admiratione
 conspicio, exploro, & per Chirurgum os i-
 psam restituo, quæ conueniebant remedia,
 iubeo admoueri. Elapso triduo ægrotum re-
 uiso num appositè restituta essent omnia ex-
 ploraturus, remotis fasciis & assulis, naturalem
 ossis situm rediisse vidimus, & appressis di-
 gitis persensimus. Sed ecce paulò inferiùs cir-
 cã cubiti articulum noua se, & nondùm con-
 specta obtulit ossis eiusdem fractura, dolores
 urgent clamosi, restitutioni itidem sedulò in-
 cumbimus. Indè placata omnia, & nunc bel-
 lè quiescit, nondùm tamen ab eo tempore
 explicatæ fasciæ, nec visum, vti se habeat
 pars ea. Miratus sum diu tantam ossium
 fragilitatem in eo homine, qui se vllis ossium
 affectibus, vel à lue Venerea, vel aliundè con-
 tractis, laborasse pernegauit. Percurri

*In labo-
 ravit vide
 Soc. Ep.
 p. 252.*

tum animo meo, quæcunque à veteribus Medicis circa fracturas adnotata fuerant, sed nihil, quòd non longè abfimile esset, mihi occurrebat, vnâ exceptâ historiâ, quæ apud doctissimum IOANNEM SCHENCKIUM Observationum rararum, & admirabilium lib. 5. obseru. 7. huic non valdè dispar recensetur. Hanc ab ipso authore tibi petendam relinquo. De hoc inaudito casu quid tui iudicij sit, velim si placet, audire.

*Observat.
secunda.*

Secundo loco referam, quod nudiustertius videre contigit. Obiit mortem senex quidam octogenarius, qui annum ferè integrum difficili admodùm *ιχθυρία* interdum *σπαιχθυρία* affectus fuit. Vocati Medici in diuersas opiniones trahebantur. Existimabant nonnulli, latitare vlcus in vesica inueteratum, alij, in quibus ego, calculum prægrandem ibidem delitescere censebant. Aperta fuit de mortui vesica, lapis inuentus silicis adæquans duritiem, & pendebat nummarij ponderis vncias sex cum dimidia, redijisset hoc ad vulgaris Medicorum ponderis vncias ferè octo. In raris hoc exemplum numero, etiamsi maiores interdum & grauiores visi fuerint.

*Observat.
tertia.*

Addo his, quod etiam hodie mihi videre contigit. Puella bimula, tussi ferina, septimum ferè vel octauum diem sine febre exercebatur, tantus erat illius impetus, vt quoties fluxio in pectus ingruebat, animam ferè interciperet, hodie exhibita est illi mannæ vncia, indè euomit multam pituitam, semel alius soluta est, meliusculè valuit, integris viribus, optimè ad obla-

oblata se habuit in prandio, circà meridiem obdormiscere visa est. Rediit tussis tanta vi circà primam horam post meridiem, vt inhibito planè spiritu, momento præfocata fuerit infans, sine vlla corporis agitatione, dixisses leni aura extinctum candelæ lumen.

Hæc pro scriptiōnis & oblectationis argumento arripere placuit, vt à te vicissim selecta ex obseruationibus tuis quotidianis habeamus, nec desinam pluribus te compellare in posterum, & amicitiam tuam colere quàm religiosissimè. Vale, datum Lugduni 7. Octob. 1608.


Viro Clarissimo & Chirurgo Experientissimo
 GVILHELMO FABRICIO
 HILDANO,

PHILIBERTVS SARAZENVS
 S. P. D.

EN habes, Vir clarissime, ad Dominum C. BAVHINVM epistolam, quam, si placet, ad eum per fidum tabellarium transmittes. Non fuit in me ea triticorum genera inuenire quæ ille desiderat: hoc negotium fuit nostratibus colonis committendum qui id in se receperunt. Ego per eos me hoc nomine exoluã. Non innotescunt ista cerealia nostris botanicis, multo min⁹ pharmacopœis. Ceterum quod ad eum virum attinet, de quo bis, ni fallor, ad te scripsi, qui eã inauditã brachij fracturã passus

erat, si, quid eo tandem factum fuerit scire optas, paucis habeto. Restitutis bis tēve ut ex arte erat ossibus, admotis fasciis expectabatur à nobis debita & conueniens agglutinatio, per callum, uti natura facere consuevit: sed frustrata est spes nostra: nam agglutinationem ne aggressa quidem est natura, quamuis quiete diuturna, fotibus, ad partem & aliis admotis adiuta sedulo fuerit. Hoc vnum obtinuit ægrotans, quod indolenter (quantum ad eam partem) ab eo bimestre spacium vixit. Brachij motum liberiores experiri se credebat. Is paulò post ex inueterato renis ulcere diē postremum obiit. Vidimus demortui sectum brachij os. Illud carie omnino computruerat. Vnde coniecimus eum ægrotum quāuis id pernegasset contumaciter, lue Venerea medullitus ea in parte exesum fuisse. Ita nobis exemptus scrupulus qui diu animos nostros exagitauerat. Non est tamen res illa vulgaris exempli cū id ipsum vniuerso corpori communicari oportuerit, si totum lue Venereæ tribueretur. Fuit sine dubio in ossibus fragilitas longe maior quam naturalis, sed cū me temporis angustia alio pertrahat, ego accuratam huius rei speculationem tibi (oculatissimo viro) committo. Vale Vir clarissime, & me iugiter ut facis amare perge. Nobilem Dom. Centurionem VVALLIER & eiusdem cohortis Episthatmum, à me, si placet, salutabis. Lugduni 13. Aprilis 1609.

OBSER-



OBSERVATIO LXVII.

De admiranda pedis fractura.

Viro Clarissimo doctissimoque D. PHILIBERTO SARAZENO apud Lugdunenses Doctori Medico celeberrimo, magni illius IANI ANT. SARAZENI F. amico singulari,

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

QUæ postremis literis ad me scripsisti, vir Amplissime, Domine & amice obseruande, rara profectò sunt, & lectione digna. Obseruatio tua de fractura brachij in admirationem me rapuit; neque vndè ossium ista fragilitas processerit, excogitare possum. Quæ corpora lue Venerea laborant, & vnguentis ex hydrargiro aliquoties imprudenter, & Empiricorum more inuncta fuerint, aut diuturnis defluxionibus molestantur, his aliquando ossa tenella ac mollia euadere solent, vti in caduere vidimus iuuenis illius gibbosi, quod Geneuæ aliquando priuatim simul dissecuimus. Is enim, quia à teneris catarrhis obnoxius fuerat, ossa adeò tenella ac mollia habebat, vt pleræque digitis facilè cõteri possent. Sed horum symptomatum, in viro isto, cuius mentionem facis, nullum adfuit, lue enim venereâ antea ipsam neque laborasse, neque defluxionibus admodum

modum obnoxium fuisse, ex tuis percipio. Latet itaque nos huius fracturæ verissima causa. Interim tamen hæc tua historia, quia eis, quæ doctiss. D. D. SCHENCKIUS lib. 5. obser. 7. ex Marcello Donato refert, fidem addit, confirmatque, mihi chara est, ipsamque meritò inter rara reponendam esse, censeo.

In Belgio fracturam pedis vidi, in qua (et si non eadem cum ista, quam tu communicasti, sit ratio) quia aliquid annotatione dignum animaduvertere licet, Casum tibi communicare non grauabor.


Historia.

Reuerendus Dominus VVOLFFBRANDVS apud Dusburgenses Cliuorum, verbi diuini minister fidelissimus ac primarius, homo pietate, virtute, & doctrinâ præstantissimus, ætatis consistentis, robustus & obesus, cum anno 1582. (si rectè memini) tempore hyemali, terra congelata in proximum pagum ad ægrum quendam inuisendum & consolandum ipsi abeundum, domumque redeundo in via ex aggere quodam tres circiter pedes alto, desciliendum esset, dextrum pedem ad eò sibi contorsit, ac fregit, vt integrum os tali aut astragali, non solum ex suo loco dimoueretur, verum etiam abruptis & abstractis ligamentis, quorum beneficio reliquis ossibus alligatur, sub interno malleolo per cutem ipsam erumperet, & foris propenderet. Ad ædes suas deportatus, Chirurgus accersitur, is videns os omninò separatum, & fibris nonnullis tantummodò adhærescens, ipsum abscidit, & ea quæ sanguinis fluxum impediunt,

pediunt, applicuit.

Alterâ die Clarissimi viri Dom. GALE-
 NVS VVIERVS, Illustriss. Cliuiacen-
 sium Iuliacens. Montensium &c. Principis Me-
 dicus ordinarius atque primarius, & D. CO-
 SMAS SLOTANVS pię memorię, eius-
 dem Principis Chirurgus præstantissimus,
 Præceptor meus plurimùm honorandus, in
 consilium vocati fuere. Qui victum tenuem
 præscripserunt, corpus à pravis humoribus e-
 uacuauerunt, venam inciderunt, vulneri ano-
 dina, & pus mouentia applicuerunt. Repellentibus
 item seu defensivis, vt vocant, affluxum
 humorum prohibuerunt. Curatio diffi-
 cilis fuit, dolorosa atque longa. Interim
 tamen amici, & quidem viri docti ipsi non de-
 fuerunt. Etsi enim proprium suum Chirur-
 gum Dusburgensem, & in arte non mediocri-
 ter versatum haberet, attamen nunc IOH.
 VVIERVS, nunc GALENVS VVIE-
 RVS, nunc RENERVS SOLINAN-
 DER omnes prædicti Principis Doctores
 Medici longè celeberrimi, ipsum inuise-
 runt, omniâque quę necessaria videbantur
 præscripserunt. Ego quoque non rarò vnâ cum
 præstantissimo D. COSMA SLOTANO
 Dusseldorpio, ad ipsum profectus fui. Sic
 diuino solo numine tandem ita cõualuit, vt &
 sine scipione incedere posset, vti ego eum in-
 cedentem Anno 1599. cum Colonia Dusburgũ
 ad pium & honestum virum D. SIMONEM EN-
 GELGRAFF, à cane grauiter morsum, vocatus

essem, ipsemet vidi. Cæterùm quæ de tussi ferina scribis non minùs annotatione sunt digna. Ego similiter puerum ex nobili familia, sanum alioquin atque robustum, qui & optimè tùm cœnauerat, ex catarrho ad pectus procedente, intrà paucas horas, & antequàm ego, qui in consilium aduocatus eram, aduenirem, obiisse, superiori æstate obseruavi. De potu chalybeato posthac, nunc enim non datur ocium. Vale vir Amplissime, & me quæso, ex innata tua ergà me beneuolentia, amare non desine. Paterniaci Auenticor. ii. Nouembr. 1608.



OBSERVATIO LXVII.

De admiranda fragilitate ossium.

IANVS DEBOVRGO *Philosophia & Medicina Doctor*

Sic in uxore Guilhelmo Fabricio Hildano
loh. Zeuneri. S. P. D.


QVam malè egerint, qui morbos omnes humanum corpus obsidentes, ad certum finitùmque numerum reuocare ausi sunt, præstantissime atque amantissime DN. FABRICI, ex eo perspicuum satis euadit, quod nouis & inauditis morbis quotannis fere humana iactetur natura, affectuùmque species propè infinitæ, vel incredibili modo mentibusque nostris

stris abstruso ab inexhausto morborum genere tanquam fonte scaturiant, sui que exortus primordia magnâ tandem mortalium perniciæ, ac clade exhibeant. Non enim ita pridem quam inutiles sint illi conatus, utque oleum & operam in re illa conficienda perdant, deprehendere licuit in multis, qui novis medicisq; latentibus morbis perculsi, miserè tandem magna omnium admiratione extincti sunt. Ex his quamplurimis vnam Philibertam Bracleam Segusianam in Biziacensium vberissimo agro degentem in medium adducam, quæ vbi quinquagesimum nonum suæ ætatis annum attigisset, sua sponte, nullâque vi extrinsecus illata ossibus con fractis, anno supra millesimum sexcentesimo sexto, sublata fuit. Hæc cum die Domino sacro iuxta ritum & patriæ consuetudinem manè recentem subuculam indueret, sublato corpore iacente, & manibus sursum exporrectis, brachij os magno dolore rumpi & conteri sensit, sic ut Cheirurgi operâ fuerit opus, qui vbi fractorum ossium extrema aptè composuisset, ac fasciis deligasset, adhibitis præterea extrinsecis congruis remediis affectum hunc feliciter curavit. Sed misella hæc non tam citò ab his liberata fuit angustiis, quàm adhuc citius seuerioris mali impetum debuerit sustinere; ipsi namque cum tandem aliquando domesticorum suorum ope è lectulo in quo iam dudum decumbebat ad ignem esset itura, vbi induere primùm tibias conaretur, ancilla quæ illi tunc temporis ministrabat, admotis manibus opem ferens os dextri cruris

R

in transfuersū cōfregit: hinc dolores ac cruciat⁹
atrocissimi oborti sunt, vocandiq; Cheirurgū
occasionē denuò nacta est, qui familiarib⁹ reme-
diis consuetāque methodo huic curationi in-
cumbens, non maiori difficultate ac negotio
quam si ob aliam aliquam causam eamque nō
inauditam confractum os fuisset, fracturā illam
reparauit. His in ærumnis miserrima illa bien-
nium cōuixit, cūmq; toto hoc temporis tractu
variis fracturis innumerisq; doloribus in dies
conficeretur, eam tandē huic luci eripi cōtigit.
Hęc sanē vt admirāda, ita & verissima est histo-
ria, nec solūm cheirurgi multorūmq; insigniū
testiū fide, sed & mariti, & natorū decē quos o-
mnes superstites habet testimonio cōprobata.
Non deerunt qui affectus huius causā lvi Ve-
nerēq; temerē adscribāt, vt quod alia excogitari
non possit, ossa omnia corrumpens, quam quæ
vniuersi corporis molem obsideat. Sed quātum
hi à vero, rectāq; ratione deficiāt, omnes quot-
quot honestissimam illam familiam priuatim
agnouerunt, iudicabūt: nam præterquam quod
maritus nulla vnquā fuit corporea labe inqui-
natus, vxórque ab omni suspicione alieni con-
cubitus semper libera ac immunis innumero-
sam prolem euheeticam & pancreaticè in hūc
vsque diem valentem, ambo susceperunt: quod
aliter profectò cōtingisset, si modo illud verum,
& toties decantatum, ex sanis sanos, & ex malè
affectis malè affectos procreari, quamobrem a-
lia excogitanda causa est, Venenum nempe ali-
quod occultum ab insigni humorū corruptela
aliquando profectū, ita se tota ossea substantia
dissi-

dissidens vt eam quoquouersum permeans, ac
 peruadens vel inenarrabili modo corruperit,
 fragilémque, alioquin inter solidiores corpo-
 ris partes durissimam reddiderit ac effecerit.
 Nec audiendi sunt ij qui aliam causam cōmen-
 ti, fragilitatem illam inductam esse fortè dictu-
 ri sunt, à perpetuo humorum à capite ad ossa
 defluxu, vt quod perpetua illa irrigatione ossiū
 compages dissiliat; quādoquidem compactam
 adeo substantiam à prima sui conformatione
 ita obtinuerunt, vt nulla fere temporis diutur-
 nitate dissoluantur, sed post secula multa è cœ-
 miteriis in quibus humana cadauera condun-
 tur integra & illæsa sepissimè effodiantur. Vale.
 Burgi Segusianorum 24. Nouemb. 1609.



OBSERVATIO LXIX.

De admirando quodam ca-
 pitis affectu.

Clarissimo ac Doctissimo viro D. N. IA-

NO DE BURGO Doct. Me-

dico longè ceber-

rime,

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Quam cōmunicasti ac misisti obseruationē
 De admiranda ac penè inaudita fragilita-
 te ossium, Vir clarissime, amice honorande,

R ij

accepi, & gratissima mihi fuit. Meritò autē in ea, qui morbos ad certum numerum reuocare student, refutas, rectēque in dies novos suboriri sentis. Nam vt Diogenianus octaui apud Plutarchum Symposij conuiuia ait. Aliqui, naturā parere morbos novos æquē ac mōstra, cēsent, idq; non solum ob siderū & cæli, aëris, & aquarum mutationem, sed & ob ganeam, & mutati victus rationem. Nihil sanē æquē patit novos & veteres innouat morbos ac praua cibi & potus, victus ratio, inquit Diogenianus loco iam citato. Ex his enim ægrotamus quib. viuimus. Sed prima atq; præcipua causa, reuera, est quod corrupta hominis natura in dies augetur: quapropter etiam Deus numerum plagarum, maiorūque meritò adauget, variōsq; morbos, ob peccata in populo excitat. Tacebo nūc de morbis inonstrosis quorum apud Plutarchum loco iam citato, Plinium aliōsq; probatos authores fit mentio. Tacebo etiam de Ebre illa sudorifera Britannica quæ Anno 1486. & lue Venerea, quæ Anno 1493. vel, vt alij 1494. sæuitiam suam in Europa exercere, genūsq; humanum miserè torquere, ac infinitos è medio tollere cœperunt: Nonne nostro quoq; tempore huiusmodi aduenire, nouōsq; morbos oriri videmus? Ante paucos annos in Hassia nouus quidam, & antea nunquam auditus & contagiosus morbus epidemicus ortus est, multōsq; misere excruciauit, eūque à præcipuo symptomate *Die Krebelkränckheit* suo idiomate vocant. In musculosis enim partibus corporis dolorem quendam conuulsium, magnum & tre-

*Vide Casiliani
Marburgensium
in 4to
Item Wierum
& morbis in
usitatiss.*

& tremulentum, non aliter ac si vndique for-
 micę subessent, ægri perferunt, quique non
 multū à dolore, quo illi qui tēpore hyemali cō-
 gelatis manibus, derepente ad fornacem aut i-
 gnem accedunt (quem dolorem Belgicā linguā
 Kreuelen dicimus) patiuntur, differre videtur.
 Dira ac seuiſſima symptomata veluti contra-
 ctiones, nonnunquam & extensiones artuum,
 cum maximis doloribus, febris item, alienatio
 mentis, fluxus ventris aliāque superueniunt,
 quę egrum per multos dies, imo & aliquando
 in multos menses miserè exercent, ac sæpiſſimè
 è medio tollunt. Fit ex putridis & venenosis
 vaporibus, neruos infestantibus. De hoc nouo
 & exitioso morbo Facultas medica Marpur-
gensis Anno 1597. tractatum Germanicā lin-
guā scriptum, in lucem edidit. In hisce verò re-
 gionibus, vti quoque scorbutus (qui in Regio-
 nibus Septentrionalibus in primis ad Ocea-
 num Germanicum grassatur frequentius) inau-
 ditus ac infrequens est morbus, & nonnihil se-
 mel mihi in his partibus videre contigit. Id
 fuit Anno 1605. hic Paterniaci in viro quodam
 robusto & vix viginti annorum ætatis. Cura-
 tio etsi difficilis fuerit, euasit tamen ille, & ad
 hunc vsque diem optima valetudine fruitur.
 Integram historiam in tertia, Deo volente, vi-
 debis centuria. Nouam illam crudelissimam ac
 longè contagiosissimam luem Epidemicam,
 superiori seculo in Hungaria ortam, eam-
 que ob causam Luem Vngaricam appellatam
 omnibus notum est. De qua plura in Consiliis
 & Epistolis à DN. D. SCHOLTZIO Medico
 R ij

Vratislau. celeberrimo editis, & Tractatu De
 lue Vngarica DN. MARTINI RVLANDI,
 medici Ratisbonensis videre poteris. Huc per-
 tinet quoque nouum ac exitiosum illud sym-
 ptoma ante paucos annos in Morauia ortum,
 quod doctissimus DN. IOHANNES SPORI-
 SCHIVS ab Ottenbachau, Medicus celebra-
 rimus doctissimè descripsit, ac de eo Anno
 1582. tractatum edidit, in quo eius causas, & cu-
 rationem accuratè tradidit. Sic autem affectum
 describit. ANNO DOMINI M. D. LXXVII.
 inquit, Brunæ quæ celebris est in Marchionatu
 Moraviæ vrbs, noua & frequentia in nonnullor-
 um hominum corporibus apparuerunt sym-
 ptomata, quæ solutioni continuitatis, per in-
 tempestiuam, inconuenientem & immodicam
 partium carnosarum scarificationem factæ, su-
 peruenerunt. In quibusdã enim particulis, scal-
 pro fauciatis, caro cucurbitulæ ambitu conclu-
 sa inflammari, & exulcerari visa est: ichores pi-
 tuitosi in magna copia fluxerunt per exulcera-
 ta membra: totum corpus, aut tãtùm membrũ
 scarificatum interim liuore fædo, interim sca-
 bie turpi horribiliter contaminatum fuit: ali-
 quibus denique horrendi cruciatus in iuncturis
 articulorum, & neruosis partibus excitati mul-
 tum tempus durarunt, & certis periodis ægro-
 torum hominum corpora affligerũt. Haftenus
 Sporischius. Et vt paucis plura comprehẽdam,
 videmus quotidie in praxi noua, imo & huius-
 modi quæ intellectum nostrum excedũt, adue-
 nire, cuius rei exemplum non vulgare T. Exc.
 nunc communicare visum est.

*Sympt.
 no morbi
 ungar.*

Superiori Aestate, cùm Basileam profectus essem, ibique mihi à viris doctis omnia humanitatis officia exhiberentur, à pietate & doctrinâ Clarissimo viro D. N. D. IACOBO ZVINGERO Medico longè celeberrimo, ad ciuem quendam Basiliensem, triginta circiter annorum ætatis deductus fui. Laborat ille affectu planè abstruso, quem paucis, & vti ipsum tum temporis, propter meam festinationem, annotare potui, híc adscribere non grauabor. Elapsos ante annos sex vir iste dolore grauatuo capitis correptus fuit, & per menses aliquot continuò laborauit. Adhibitis remediis tandem ex parte remisit dolor capitis, sed crura ita resoluta fuère, vt in hunc vsque diem, ne digitum quidem pedum, multo minus crus mouere possit. Quod si aliquis ex adstantibus ea subleuare, aut vi quadam extendere (sunt autem retracta) tentat, ita tremunt, & agitantur, vt protinus ea reponere necesse sit. Non diu post resolutos, & quidem diuersis temporibus superuenerunt, imò etiam nunc superueniunt vlcera in capite, quæ non solum cutem & membranam carnosam, verum etiam cranium ipsum erodunt. Sed quod admiratione non vacat, verisimile est materiam illam acrem, ac corrosiuam, primum intrinsecè colligi, carieque istâ antequam exterius appareat, tabulam vitream erodi. Si enim vlcus aliquod in capite oriri debet, ante omnia dolorem fixum illa in parte capitis intrinsecè perlentit, etiam si in cute nihil quicquam

R iij

*Historia
de admira-
rando ca-
pitis affe-
ctu.*


*forsan
Zuus q d
inunctio &*

appareat, grauiora tamē symptomata non adfert dolor iste. Demum paulatim tuberculum in cute exoritur, sensimque ad suppurationem peruenit. Rupto tuberculo, quamprimum ossa cariola sese extrahenda offerunt atque hæc omnia absque maximo dolore, & grauioribus symptomatis accidunt. Ossibus cariolis extractis, cicatrix paruo cum negotio inducitur. Diuersas & quidem in diuersis partibus capitis vidi & palpauī cicatrices profundissimas. Vidi & vlcus quod & tum temporis ad duram meningem vsque penetrabat. Interim tamen de grauioribus symptomatis minimè conquerebatur. Dolor erat exiguus, febris, inquietudinēsque ferè nullæ. Hæc ego tum temporis festinātī calamo annotaui: spero tamen posthac integram historiā à Clarissimo viro Dn. D. ZVINGERO me accepturum.

Ex hac autem historia singulare nec T. Exc. speculationibus indignum prouenit *Problema*. *Problema*. nimirum Cur materia illa acris in ipso capite collecta, potius cranium, corpus solidum ac durissimum, quam duram meningem, membranam exquisitissimo sensu præditam, eroderit, neque grauiora symptomata induxerit? Quid T. Exc. hac de re videatur, vt rescribere non grauetur, summopere rogo. Aeger noster, Nobil. Dn. VVALLIER optimè, laus Deo, sese habet, & absque scipione firmiter, & nulla cum difficultate incedit. Ulcera tamen etiam nunc aperta sunt. Vale vir clarissime, cum lectissima tua coniuge, quam tecū ego & COLINÆTEA mea peramanter salutamus. Paterniaci

terniaci

terniaci Auenticorum 10. Januarij 1610.



OBSERVATIO LXX.

De lato quodam ac longo lumbrico.

Historia prima,

Ad

*Virum clarissimum doctissimumque Dom. PHI-
LIBERTVM SARAZENVM, apud Lugdunenses
Doctorem Medicum longè celeberrimum, & ma-
gni illius atque excellentissimi viri D.D.*

IANI ANTONII SARAZENI F.

amicum singularem,

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Qui has tibi traditurus est literas, vir am-
pliffime, cum Galliam perlustrandi cau-
sa, iter suum Lugdunum versus instituisset, si-
ne meis ad T. Exc. literis eum dimittere no-
lui. Is autem est Dom. ANDREAS TOXOTIVS
DANVS, vir pietate, doctrinâ, & erudi-
tione insignis, & Medicinæ Doctor, qui cum
duobus Generosis D. D. GEORGIO, &
FRANCISCO à LYCKE fratribus Danis
mecum aliquandiu vixit: ita vt ipsius probi-
tas mihi satis perspecta sit. Hunc itaque vi-
rum vt tibi commendatum habeas, atque hu-
maniter excipere velis, obnixè rogo. Quo


te duce & authore, in Chirurgicis (cui studio omnino addictus est) sese exercere poterit: idque in nosocomio vestro, cuius cura T. Exc. nunc omnino demandata est, facile, vti spero, fiet. Quod si præterea apud T. Exc. vna cum Generosis suis, hospitium suum habere poterit, ipsis pergratum fuerit. Te itaque etiam atque etiam oro, vt prædictum D. D. TOXOTIVM, cum suis Generosis, iure amicitiae nostrae, albo amicorum tuorum inscribere non dedigneris.

Porro post reditum meum Lugduno, lumbricum latum, & miræ longitudinis hîc mihi videre contigit. Historiam quia lectione non indignam esse existimo T. Exc. communicare non grauabor. Mulier incola huius Oppidi viginti circiter annorum ætatis, natura non admodum valida, nec robusta, sæpissime dolore, ac torminibus ventris, imbecillitate vetriculi, nausea, ite eructationibus, & cibi fastidio vexata, me in consilium adhibuit, circa finem mensis Aprilis huius anni. Tum pulvere quodam Laxativo (qui recipit rhabarbarum, turbith, & sennam) & syrupo rosato solutiuo composito cum rhabarbaro, agarico, & senna exhibitio, lumbricum latum per secessum vna cum excrementis excreuit: prima scilicet die Mensis Maij, Quem cum mihi monstrasset, attonitus fui. Est enim spithamas viginti longus. Latus erat (nunc enim quia exsiccatus, contractus est) grana sex, crassus verò grana duo. A latitudine duorum granorum, interstitia habet, ex vna parte aliquomodo eleuata, & ferrata, vti

ex

ex annexa delineatione apparet. Hinc fit, vt dum ex parte A. notata, ad B. demulciatur, atque palpetur, ad instar anguillæ leuis ac lubricus fit, sin verò ex aduersa parte, asper persentatur. Colore albus, vndique tamen inter interstitia maculis nigris aspersus, & in medio exigua cavitare præditus erat lubricus ille. Ex vna parte in tenuissimum filum definit: reliqua longitudo eiusdem est latitudinis, nec caput vllum in ipso obseruauit, vti nec in aliis huius generis lumbricis, quorū suo loco fiet mentio, vnquam obseruauerim. Post excretionem huius lumbrici, iterum expurgato corpore, & quæ partes principes roborāt, per dies aliquot exhibitis, conualuit fœmina illa, & huc vsque bellè se habet. Ego lumbricum hunc exsiccatum inter rara mea reseruo. vti T. Exc. ex prædictis generosis & Dom. D. TOXOTIO, qui ipsum nō sine admiratione apud me viderunt, coram intelligere poterit. Atque hæc est vir clarissime, succincta, verissima tamen huius lumbrici descriptio, quam falso, & inepto isto, hinc inde per Heluetiam & quidem in Burgundiam vsque disperso rumori DE MONSTRO PATERNIACENSI oppono. His vale vir amplissime & fœliciter viue diu. Paterniaci Auenticorum 28. Augusti 1609.

Delineatio frustuli præscripti lumbrici, quo latitudo interstitia, & maculæ nigræ adumbrantur,



OBSERVATIO LXXI.

De latis lumbricis.

Historia altera.

*VIRO CLARISSIMO DN. GVILHELMO
FABRICIO HILDANO apud Berna-
tes Cheirurgo primario,*

PHI-

PHILBERTVS SARAZENVS
S. P. D.

CVM acciperem postremam tuam episto-
lam, de lato illo verme, vir Clarissime, ha-
bebam iam tum præ manibus mulierem co-
dem affectu, quo & tua illa mire deuexatam.
Eius exitum aliquem, & conatum nostrorum
in eo percurando successum exspectans, rescri-
bere tibi hæcenus sustinui, nunc paucis habe-
to quæ in ægrotante obseruata, quæ in illius
gratiam à nobis factitata sunt. Mulier est an-
num agens trigessimum quartum, satis bene ha-
bita, & ευσαρως, hæc à primis annis vermino-
sa vsque adeo fuit, vt ex interuallis satis fre-
quentibus, latos vermes, quos ταινίας Græci
dicunt, excerneret per aluum, vlnam, sesquiul-
nam & amplius interdum longos, digiti verò
medij latitudinem æquantes: ea tum inde gra-
uiter afficiebatur, mox in prouectiorem æta-
tem delata, matrimonium contraxit, ac mul-
tos peperit foetus, qui primis vitæ mensibus o-
mnes extincti sunt: quod ab ea morbosa ma-
tris dispositione proficisci omnino persuasum
habemus. Increuit enim tantopere in ipsa ver-
minosa hæc soboles, vt superioribus annis, non
per aluum modo, sed aliquoties per os naref-
que, eiusdem longitudinis vermes illi prodi-
rent. Ac tum in abdomine primùm conspicuus
fiebat illorum motus, intumescebat enim mü-
lieri venter hinc inde, non aliter quam fieri
solet, cum se foetus in eo quoquouersum com-
mouet, mox inde in os obrepebant, eosque

ipsa digitis comprehensos longa serie educe-
 bat, ac eo perseverante motu in deliria & a-
 lienas cogitationes rapiebatur. Vix credibi-
 le est quot, quantaque vsurparit in eum affe-
 ctum remedia. Purgationibus vsa est fre-
 quentissimis, alliorum, corallinae feminis
 contra vermes, theriacis absinthij, nunquam
 ipsi defuit subsidium. Diuturnitatis eius mali
 tandem pertæsa, nostrum etiam consilium ne-
 perrime expetiuit. Illi ante omnia apoze-
 ma solutivum, ad doses complures præstiti-
 mus: (eius mox sequetur exemplar) hau-
 sto summo mane apozemate, tribus horis
 post, inungebatur calidè totum abdomen
 unguento paulò post describendo, sub ve-
 speram eiusdem diei iniijci volebam cly-
 sterem ex lacte & dulcibus præfidiis quæ ver-
 mes deorsum prolectarent, ita undique ob-
 fessi magno impetu aceruatim detrusi sunt,
 in orbem glomerati, ac pedes viginti longi-
 tudine excedentes, ex quibus omnibus hoc
 commodum ægrotanti rediit, quod cum ante-
 hac ab animalium istorum edacitate, subrepto
 illi proprio alimento macresceret, nunc in
 meliorem habitum rediit ac bene colorata
 est, torminum ventris expers, quibus assiduò
 exercebatur, suavem capit somnum, nec
 aliena aut cogitans aut loquens animad-
 uertitur. Hisce additum est ex hydrargiro
 præstantissimum remedium, illud enim ad
 sesquidrachmam purum, & per corium tra-
 iectum hausit, nec ab eo infestant ipsam
 dira hæc animalia. Sed audi quid obseruatum
 sit

Curas

fit in eo Mercurij vsu. Gestabat agrotans
 tum temporis Emplastrum pro matrice, quod
 ipsa paulò post, obseruauit, totum hydrargi-
 ro perfusum : Vide quam tenues sint illius
 partes, quod intestina, musculos, cutim $\alpha\delta\eta\lambda\omega\varsigma$
 & $\alpha\gamma\alpha\iota\delta\eta\tau\omega\varsigma$ permeauit. Exspectamus quan-
 tum hæc profutura sint, & victus ratione
 conuenienti imperata, remediis pluribus
 vti destitimus. Panem ex secali commen-
 dauimus, theriacam pariter ac pilulas mox
 recensendas. Quis rerum omnium futurus
 sit successus per me ex literis compertum
 habebis. Ac ne epistolæ iustum modum
 excedam, plura nunc scribere supersedeo.
 Curabis, si placet, vt hoc fasciculo conclusus
 liber ad Clarissimum DN. D. LENTVLVM
 tuto transmittatur. Exspecto aliquid Extracti
sulæ ex tuo artificio. Vale vir amicissime, &
 me tui amantissimum redama. Datum Lugdu-
 ni 12. Decembris Anno 1609.

*Extr. Sulæ
 Fabrij.*

Apozema.

Apozema.

& radicum dictamni,
 filicis,
 polypodij quercini an. ʒj.
 corticum radice capparis,
 tamarisci, &
 medietatis fraxini an. ʒ. vj.
 herb. chamedrios,
 chamepitis,
 absinthij,
 saluæ an. M. j.
 centaurij minoris p. j.
 sem. anisi,

citri,

portulacæ &

contra vermes an. ℥ij.

corallinæ p. s.

senæ orientalis mundatæ

feminis carthami an. ℥ij.

agarici trociscati ℥. l.

cortic. myrabolanorum citrinarum &

chebularum an. ℥iij.

Decoquantur in s. q. aquæ ad vncias decem. In colatura dissolue syrupi de cichor. cum Rhabbaro, & de floribus persicorum an. ℥j. s. oximellitidis scyllitici ℥. j. Misce. fiat apozema propinandum in quatuor matutinis: aromatisentur singulæ doses pulueris diamargariti frigidi scrupulo vno.

℞ decocti præscripti q. s. pro dosi, dissolue diacarthami ℥. v. syr. de cichor. cum rhab. ℥j. Misce, capiat cum custodia. Finito apozemate, & die interposita.

℞ unguenti Agrippæ ℥iij.

Vnguentū.

pulpæ colocynthidis puluerisatæ ℥vj.

scamonix veræ ℥. s.

mirrhæ,

aloes an. ℥iij.

fellis taurini recentis ℥ij.

Agarici albi ℥. v.

pulueris radicis cyclamini ℥j. s.

croci ℥. j. s.

ol. amygdalarum amararum ℥vj.

succi allij &

scordij an. ℥. s.

Misceantur omnia simul ad ignem. ex arte ferueant

ueant ad succorum consumptionem & addendo petrolei ℥j. Ceræ q. s. fiat vnguentum pro v-
su dicto.

℞ massæ pilularum de hiera cum agar. ℥ss. *Pilulæ*
extracti esulæ ℥ij.
mirrhæ electæ ℥j. s.
corallinæ ℥iiij.
croci ℥j.

Cum syrupo de cichorio cum Rhabarbaro
fiat massa, ex cuius drachma formentur pilulæ
s. quarum deglutiat duas alternis matutinis ie-
iuno ventriculo.

IOAN. IACOBVS CRAFFTIVS
D. D. GVILIELMO FABRICIO HIL-
DANO *Paterniacensi Chirurgo*
celeberrimo atque pra-
stantissimo
S. P. D.

DOlebam nuperrimè, Clarissime D. FA-
BRICI, cùm placuerit mihi quædã ex tuo
Musæo cõmunicare & transmittere, nõ fuerim
domi, quòd per eandem commoditatem tibi
rescribere, quin & ingètes pro iis gratias agere
potuissem. Cùm autè propter incõmoditatem,
locique distantiam, res hucusque sit dilata, nũc
illud differre nolui. Et id scriptis, malle[m] po-
tius verbis tecum cõmunicando, siquidem cõ-
stet te magno-eiusmodi-pere delectari, ac me
non nisi suauem & iucũdum odorem inter tot
flores posse recipere. Incidi itaque haud pridè
in quandã controuersiam grauisimorum quo-

S


rundā authorū, disputatiū de subiecto Generationis lumbricorū: quidā enim nitūtur probare, Lūbricos & quidē rotūdos tantū in intestinis nēpe gracilibus, nā quòd lati in crassiorib. & ascarides in ano procreentur, non hic questio est; generari: alij verò non solummodò ibi, sed & in ventriculo, aliisque corporis partibus fieri. Illi sese fulciunt autoritate Galeni, de loc. affect. cap. 5. dum dicit, quod vnicuique parti proprii insint morbi, vnde partes affectæ statim dignoscantur, vt lapis in renibus, vesica, suffusio in oculis, nec non lumbrici in intestinis; ac si diceret, duntaxat in intestinis generari: hi confirmant ex Hippocrate qui 2. de morbis mulier. lumbricos etiam in vtero, Alexand. Trall. in capite, alij in pulmonibus, in hepate, vesica urinaria alij fieri dicunt. Verum distinguendum inter lumbricos & vermes; Vermes nanque in aliis quidem partibus posse reperiri, qui non tamen Lumbrici dicendi: itaque varios authores conciliandos esse, existimo. Sed hoc me non mouet; veniam ad cardinē dubij in quo titubo, An lumbrici etiā in ventriculo generentur? contrā ferè omnium Medicorum sententiam, qui id fieri negāt, cū tamen contrarium existimem, rationibus & exemplo, vt postea dicitur, ductus, quod egomet vidi Mompelij Anno Illuminationis 1599. in cuiusdam pueri cadauere dissecto. Nihilominus quid hac de re, Vir amplissime, sentias, pro amicitia nostra iam dudum contracta, quæso explica. Quod enim volunt, tantūm intestina, & non quoq; Ventriculū subiectum eorū esse, solūm

solum id dicere, sed non quod hactenus vide-
 rim, probare videntur. Nam putant Lumbricos
 qui per os vel nares reiciuntur, solum (quod
 simpliciter non nego) ex intestinis per *πυλωρον*
 in ventriculum subire, & inde per dicta loca
 reici: siquidem neque conueniens materia, ne-
 que causa efficiens appropriata, neque locus a-
 ptus in ventriculo reperiantur. Cum tamen non
 minus in ventriculo ac intestinis inesse arbi-
 trer, materia, quæ pituitosa, cruda, putrida, cras-
 sa est, & non biliosa, quæ calida & sicca, cum ad
 eiusmodi productionem temperata & humida,
 quæ facilius alijs putrescunt, teste Aristotel.
 requirantur, quoniam bilis in duodenum se-
 creta fit clyster naturalis, vt patet s. de vsu part.
 & non tandiu remanet, quia maxime flui-
 da, donec animal gignatur, atque sua acri-
 monia & amaritudine eos perimit, vt in-
 quit Paulus; deinde secundum commune axio-
 ma, Ab iisdem animalia conseruantur, nu-
 triuntur, ex quibus fiunt, amaris autem lum-
 brici interimuntur, quapropter non possunt
 ex amaris gigni: neq; atrabilaris, quia salsedine
 sua mordicat, frigida & sicca est, at vita anima-
 lium viuentium, vt vbique testatur Hippoc. &
 Aristot. in calido & humido posita, ideoque
 inepta est: sanguineam (sanguis enim nunquam
 in venis, neque densatur, neque putrescit, ne-
 que ad ventriculum, vel intestina funditur,
 nisi ad partes alendas; at si per accidens e-
 mittatur, statim grumescit, vnde ita re-
 frigeratur, etiam si putredo quædam subsequa-
 tur, non sufficiat ad vermem producendum)

ipsam dicere esse, Naturæ iniuria fieret, nam quòd aliquando lumbrici conspiciantur rubei, flavi aut nigri, fit vel quòd aliqua portio humorum aliorum cum pituita conueniente misceatur, vel succent, vel pro varietate coctionis, secundùm Aristot. ita colorentur. Quapropter non minorem congruam materiam ad eorum generationem in ventriculo esse, quàm in intestinis, verisimile est. Causam efficientem, calorem nimium viuificum non nihil putredinalem, teste Galeno, blandum, & mitem, inducentem formam in materiam preparatam mediante calore cœlesti: Ac locum satis capacem, nec vltra modum, vt quidam philosophantur, adesse minimè dubito, ne quoque contra Aristotel. 4. Meteor. l. 3. esse videor, asserere eiusmodi animalia post concoctionem in ventriculo materia conueniente aliquandiu retenta posse generari. Vt de causis istis hîc differere, quia illæ satis notæ & vbique legantur, non est opus. Exemplum proin esto confirmans hoc: Erat quidam puer Monspeliensis duodecim annor. sæpissime lumbricis subiectus, verùm paucos per inferiora, at potiùs superiora excreuit, qui tandem vomitu contiguo laborans, globulos vermium instar acicularum eiecit, quos adeò exiguos non ex intestinis, & partibus inferioribus ascendisse, planè credendum, sed ortum duxisse in ipso ventriculo maximè existimandum est. Adde post diros dolores & inflationem circà pubis regionem, quæ incurabilis erat, coactus vitam cum morte commutare. Aperte

perto eius corpore reperimus inflationem istā
causatam fuisse ex collectione ciborum indige-
stiorum, & nonnullorum lumbricorum. Id vi-
dentes, de ventriculi læsione suspicati, ad ipsum
proin ascendimus, quo exsecto, adhuc aliquot
lumbricos atque globulos vermiculorum in-
uenimus, insuper & sinistro latere paulò suprā
eius fundum foramē, in quod facilè digitus in-
datur, vidimus, quod absque dubio ab istis ani-
malibus factum, & per illud tā cibi crudi por-
tio quædam, nam totus non potuit, quia fora-
men illud non in fundo ventriculi erat, quàm
lumbrici in inferiorem modò dictam regionē
deciderunt, & tumorem istam causerunt. Per-
scrutantes verò intestina planè nullum forami-
nis indicium repertum. De eiusmodi materia af-
fectūque agens, Vir facundissime, dūmodò tibi
non molestus, nō abs re fore arbitror, & sequēs
exemplum huic annectere. Sæpissimè hinc inde
legi, nec non à plurimis audiui, Lumbricos, &
quidem, quos Græci *σπογγύλιες ἕλμινθας* vocant,
intestina, & vt aliās diximus ventriculum, tam-
que partes continentes, quàm contentas infe-
rioris ventris perforare, ac per umbilicum, in-
guina, perineum, lumbos exire. Quod quidem
aliquādiu me aliquo modo in suspēsu tenebat,
& obcecabat, an hoc fieri possit, donec *αὐτοψία*
ipsa & quotidiana praxis illud certificauit. In
pago igitur quodam proximo, ad adolescētem
quindecim annor. vocatus, quem cūm lumbrici-
cis laborare, ex signis iudicari, pulueris nostri
compositi per tres dies matutinas exhibui,
quibus eiecit per secessum, plus quàm centum

lumbricos, nihilominus venter potissimū circa umbilicū adeò durus, vt coactus fuerim cataplasmata emollientia applicare, postquam applicationem intrā viginti quatuor horas aliquot lumbrici satis longi vnà cum purulenta materia per medium umbilici egressi fuere, vti & posteris diebus, tamen locus non detumescēs, cōtinui eiusmodi cataplasmata, supra quę postmodū, postquam adolescens comederit fraga, granulæ istæ rubræ fragorum aliquoties ipsis adhærebant: quod tum euidens signū erat intestina & partes continētes hypochondrij à lūbricis perforata, & indè tādē causam mortis ortam fuisse. Ac hæc, Vir Clarissime, pro tempore sunt, quorū, idque familiariter colloquendo, tuā mentem expecto. Vale in Christo Iesu. Datum in nostro Museo Neocomensi. S. Idus Octob. Anno fr Vor Miserl Cordia.



OBSERVATIO LXXII.

De latis lumbricis miræ longitudinis.

Historia tertia.

Ad

Clarissimum atque doctissimum virum D. IOAN. IACOBVM CRAFFTIVM apud Neocomenses Medicinæ Doctorem ordinarium atque celeberrimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Heri

Heri Aquiliâ domû reuers⁹, Vir clarissime,
& amice sũmoperè honorãde, literas tuas
domi meæ inueni, quæ mihi pergratæ fuerunt.
Nõ solũm, eius rei nomine, quia te meas acce-
pisse significant, verũm etiam propter theses &
intimationes tuas inaugurales, quas simul misi-
sti, pro quibus gratias, quas possum, ago maxi-
mas: data occasione, vt beneficiis respondeam,
neruos omnes intendam.

De lumbricis dissertationem tuam doctissi-
mam lubentissimè vidi atque legi. Lumbricos
quoque aliquando in ventriculo (etsi viri non-
nulli docti contrariũ defendãt) generari posse,
tecum sentio. Imò eos, qui per vomitum eiiciũ-
tur, rarò ex intestinis provenire, verisimile
mihi videtur. Cũ enim nihil sit, quod magis
aduersetur lũbricis, quàm amara, quodque eos
facil'ũs enecet, vesica quinetiam fellis cõtinuò
in duodenũ sese exoneret, ita vt intestinũ hoc
humore isto amarissimo imbutũ sit, credibile
est animalia ista duodenũ, veluti hostẽ infẽsi-
simum rarissimè ingredi. Exemplũ in hirudi-
nib. videre licet, quas ego, cũ iis apud ægros
vtor, in scutellã aquæ frigidæ plenam, vt vnã
post alterã, & quidẽ meliores, eligere possim,
repono. Ne verò effugiãt, limbũ scutellæ, felle
alicuius animalis illino. Itaq; si qui vermes ex
intestinis ad stomachũ ascendunt, id in his, qui
maximã aliqua obstructione pori cholagogi
laborãt, fieri existimo. Neq; me à sentẽtia auo-
cat, quod in prima Centuria Observat. mearũ,
vermes in vesica fellis repertos fuisse scripserĩ.
Id enim accidit in cadauere hydrope mortuo,

ità vt vesica fellis aquoso potius, quàm bilioso humore repleta fuerit, sicuti ex quadam Amplissimi viri D. D. GALENI VVIERI Reueren. Electoris Treuirēsis &c. & Illustris. Principis Iuliacēsis, Cliuensis & Montensis &c. Archiatri longè celeberrimi, ad me data epistola, Observat. 54. cētur. 1. annexa, videre poteris. In vesica urinaria (quod tamē rarissimè occurrit) vermes, quales in caseo putri nasci solent, procreatos fuisse, Observat. 56. centur. 1. annotavi, ex quibus tandem lumbrici facti fuissent, nisi acrimonia urinæ eos maturè nimis expulisset. Si itaque in vesica acrimonia urinæ generationem vermium non impedit, quis quæso eos in ventriculo generari posse dubitabit? Sed destinam ego noctuas Athenas ferre.

Exemplū

Cæterùm quæ de lumbricis latis siue longis observavi, Excell. T. communicare non gravabor. Anno 1604. Paterniacensis cuiusdam DANIELIS ROMAY filia, novem annorum ætatis, herniâ inguinali laborans, quum herniam ipsi per incisionem curare vellem, & corpus ante operationem, per Apozemata, & purgationes præpararem, quadam die cum potunculam quandam ex syrupo rosato solutiuo cōposito cum rhabarbaro, agarico & senna, nec non parum pulveris sennæ laxat. sumpsisset, frustum lumbrici septem circiter spithamas longum, per aluum eiecit. Paucos post dies ab excretionem huius vermis, nimirum 8. Nouemb. cum herniam incidissem, & idoneis remediis curationem ad finem perduxissem, optimè conualuit, & quod magis, ante operationem sapif-

ſæpiſſimè morbis obnoxia fuerat: poſt operationem tamen & curationem herniæ, ſemper, & ad hunc vſque diem bellè ſe habuit.

Lumbricum hunc exiccatum maxima cum diligentia in muſæo meo reſeruo, cuius latitudinem, cum ſuis interſtitiis, & maculis nigris, quibus aſperſus eſt, hic adumbrare libuit.




Exemplū
2.

Superiori anno à quadam matrona huius loci quæ matrice se laborare censebat, in consilium vocatus fui. Aiebat autem circà regionem umbilici & infimum ventris, frigus aliquod molestum se percipere. Quùm verò simul & de dolore capitis conquereretur, pilulas capitales ipsi exhibui, ex quibus optimè purgata fuit: frustum quinetiam lumbrici novem spithamas longum, eiusdem cum præcedenti latitudinis & figuræ, excrevit, dehinc optimè valuit.

Exemplū
3.

Ante annos aliquot Murati puellam ex gravi ac diuturno morbo curavi, quæ similiter lumbricum latum per inferiora excrevit. Pars huius lumbrici ex incuria adstantium in cloacam proiecta fuit, frustum tamen tres tantummodò spithamas longum mihi ad manus pervenit. Huiusmodi autem lumbrici si ex parte A notata ad B digitis molliter demulceantur, læves lubricique, sin verò ex aduersa parte, asperi persentiuntur. Integros mihi nunquam, sed frustratim videre contigit. Reliqua quæ huius argumenti habeo exempla, nunc propter temporis penuriam addere non licet, fiet id aliàs DEO volente. Interim ignosce, vir Clarissime, si pro tenuitate ingenij mei expectationi tuæ satisfacere minimè potui, omniàque ut æqui bonique consulere non graueris, rogo. Vale cum honestissima tua coniuge, quam tecum ego & vxor mea salutamus peramanter. Paterniaci Auenticor. 24. Octob. 1608.

OBSER-



OBSERVATIO LXXIII.

De latis lumbricis.

Historia quarta.

*Ad**Eundem Clarissimum D. Doct. IOHAN. IA-**COBVM CRAFFTIVM.*

cui

*Guilhelmus Fabricius Hildanus iterum**S. P. D.*

Nimiùm profectò, Clarissime D. Doctor
CRAFFTI, amicorum optime, ergà me
 officiosus es, nimiùmque mei causa, in scribē-
 dis prolixioribus epistolis, egregiis non tantùm,
 verùm etiam vtilissimis exemplis, atque histo-
 riis illustratis, laboras, & velitationes meas lite-
 rarias, doctissimis tuis scriptis illustras. Cuius
 nomine nò solùm me, verùm etiam posterita-
 tem tibi plurimùm obstringis: immortalésque
 in præsens ago gratias, donec vicissim officio
 meo reipsà aliquo modo satisfacere queã. Cæ-
 terum ne nude planè sint literę, reliqua de latis
 lumbricis inserã, quę nuperrimè propter tēpo-
 ris angustia, & occupationes addere nò licuit.

IVDITHA MACE Domini Ioachimi Ro-
 haud, apud Lausannenses olim Pharmacopæi
 exercitatissimi, vidua, à teneris palpitatione
 cordis, imbecillitate ventriculi, & obstructio-
 nibus viscerũ valdè obnoxia fuerat. Quãobrem
 ex consilio Medicorum multa, variãque medi-
 camenta acceperat, & aliquando ab assumpto

medicamento cathartico, frustra satis longa vermium per secessum reiecerat. Postquam verò nupsisset, & proles procreare incepisset, tremor ille cordis cessavit: color quinetiam faciei viuidior factus est, sed continuò ferè Lienteriâ vexabatur, ac interim per interualla frustula vermium, nunc ad spithamas sex, nunc ad nouem, aut decem longa, per aluum excreuit. Quotiescunque autem eiusmodi frustula vermium excernebat, eorum abruptionem in ipsis intestinis facilimè percipiebat: pueros nihilominus multos, & præcipuè masculos (quorù adhuc multi in viuis) procreauit. Quadam die, cù medicamentũ purgans sumpsisset, frustum vermis, vlnas septem Lausannenses, (continet autem vlna Lausannensis spithamas circiter sex) longum excreuit, cuius tamen portio remãsit. Post dies enim aliquot denuò maximam eiusdem vermispertem reiecit, & quidem absque ipsius vermispertis abruptionis (sicuti antea) sensu. Quapropter iam omninò se à verme isto liberatam esse, sibi omninò persuadebat, neque spes ipsam fefellit. Deinceps enim huc vsque nunquam tale quid ei accidit: Fluxus quinetiam alui, qui ipsam antea continuò molestauerat, remisit, & dehinc ab annis octodecim optimè sese habuit. Hæc ex ipsius mariti D. ROHARD ore, præsentem ipsa, excepi. Retulerunt prætereà, si omnia frustula, diuersis temporibus ab ipsa reiecta, coniuncta essent, longitudinem vlnarum viginti Lausannensium longè excedere posse.


Apud prudentissimum virum D. IOHANN. VVIL-

VVILLADINVM pro tēpore Præfectū Auenti-
censem dignissimum, & compatrem meū ob-
seruandissimum ancilla viuit, quæ nunc trigesi-
mum annum ætatis prætergressa est, illa iam à
multis annish uiu smodi lumbricis latis atque
longis, molestatur. Abhinc annis aliquot circi-
ter festum diui Iohan. Baptistæ frustula longa
excernere solita est: vti & superiori quoq; æsta-
te tēpore cōsueto similiter excreuit. Anno 1607
genere & virtute nobilissima matrona MAR-
GARETHA de MVLLENEN, vxor D. prædicti
frustula tria ab ipsa ancilla reiecta, quæ in lōgi-
tudine vlnas sex continebant, mihi monstra-
uit. Continuò ferè etiam prædicta ancilla
frigus quoddam molestum in vêtre persentit.
Sæpiùs item fluxu ventris laborat, nōnunquam
& aluo restricta est, robusta tamen, & exigua
molestia ex hoc malo afficitur. Pilulis ex aloë,
rhabarb. agarico, extracto colocynthidis &c.
cōsilio meo aliquoties expurgata fuit: puluerē
item ad necandos expellendosq; vermes exhi-
bui: sed quod magis, ter aut quater ipsi ab Em-
pirico decoctū ex solo colocynthide, exhibitū
fuit: ex quo vehementer expurgata, nullos pro-
pterea vermes excreuit. Appropinquante verò
tempore præscripto, spōtè prodeunt. Quomo-
do autem vermis ille à medicamentis tam va-
lidis, veluti colocynthide expulsus non fuerit,
nondūm video, cū tamen circà præscriptum
tempus, veluti per criticum quendam naturæ
motum sponte, vt dixi, proserpat.

Ante septimanas tres fasciculum literarum
ad te misi, in quo & literæ ad Illustrem Dom.

Baronem in Geitzkoffler, & Generosum D. Baronem in Gorsier inclusæ fuerant: rescribere, si vacat, an ad te pervenerit.

Hisce vale, Vir clarissime, cum lectissima tua coniuge totaque familia, quam tecum ego, Vxor mea, ac D. Magister Vrftifius plurimum salutamus. Raptim Paterniaci Auenticor. 24. Decembr. 1608.




OBSERVATIO LXXIV.

Ex dolore Colico neglecto, abscessus in colo intestino, & mors sequuta.

ANno 1603. 29. Februar. LOISE vxor HVMBERTI VVILLARD in Chastenay gravissimo dolore colico, cum ventris constipatione, ac vomitu, correpta fuit, vnde mox febris exorta. Neglecto morbo, nullisque adhibitis remediis idoneis, dolor ita auctus, vt per octiduū nullū capeffere potuerit somnū. Dolor in sinistro latere sub costis mendosis præcipuè acerbus ac pūgens erat. Vocatus 3. die Martij, ipsā ardentissimā febre laboratē offendi. Vēter nō aliter, quā in hydropicis, tumidus, & instar tympani extensus erat, neq; flatū, multò minus excremēta toto octiduo eiecerat. Hinc spirādi difficultas & syncope superuenerāt. Et quāuis egrā in euidētissimo mortis periculo versari viderē, attamē (præsertim, quū & egra à me petiisset, vt clysmate tētarē, an alius lubrica posset reddi, inflatiōq. vētris aliquo modo subsidere)

re)

re) clysterem lenituum ei exhibui. Sed cum tanta esset alui constipatio, & ventris inflatio, ut altius ad intestina ascendere non posset, mox Enema iniectum, tanquam inutile reiecit. Eadem nocte ruptus est abscessus in sinistro hypochondrio, ea scilicet coli parte, ubi fit angustius. Id autem inde cognoui, quod non parum puris per aluum excreuerit. Ex quo agra non nihil alleuari videbatur, Sed mox sudore frigido & syncope correpta, circa solis exortum e vita decessit.




OBSERVATIO LXXV.

Ex suppressis hemorrhoidibus suppuratio, & fistulosa ulcera sequuta.

Dominus PETRVS A LEOCHO Chirurgus apud Geneuenses longe celeberrimus, homo pius atque probus, a multis annis hemorrhoidibus, & quidem maximo sui fructu, laborauerat, quæ tamen tandem anno ætatis suæ circiter septuagesimo substiterunt. Non diu post, exorta prius febris continuâ, dolore maximo, tum renum, tum perinæi, aliarumque vicinarum partium correptus fuit. IANVS ANTONIVS SARAZENVVS Medicus Regius, & IOANNES GRYFFONIVS (apud quem tum temporis Chirurgiâ exercebatur) in consilium vocati, extremitatem intestini recti, perinæumque in tumorem eleuatum, eumque excrementorum retentione, & urinæ di-

difficultate laborantem, offendimus. Quocirca clystere iniecto, & castiâ fistulari, diaphœnicove, leniter corpore purgato, ægrum in semicupium collocauimus. Embrocationes, Cataplasmata anodyna, & pus mouentia applicuimus. Sic post dies aliquot circùm circa anum tribus diuersis in locis ruptâ vomicâ, pus copiosè effluxit. Hinc dolor, reliquaq; symptomata paulatim cessarunt, vlcus tamen, quamuis maximâ, quam potuimus, diligentiam adhiberemus, consolidare nequiuimus, sed tandem in fistulâ degenerauit. Nihilominùs tamen per annos aliquot sanus & incolumis vixit, praximque maxima cum dexteritate, laude atque emolumento ægrorum exercuit, qui mihi semper amicissimus, & instar Præceptoris fuit. Tandem planè decrepitus, placidè & piè, meo tamen multorùmque amicorum maximo luctu, ex hac vita caduca in æternam vitam migravit.



OBSERVATIO LXXVI.

Quidam ex maxima combustione eadem die moritur.

VIRIS GENEROSIS DN. DN. GEORGIO ET
FRANCISCO A LYCKE Danis

Fratribus Germanis,

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Viri Generosi, & perpetuò mihi obseruâ-
dissimi.


Cyathos

Cyathos deauratos quib. me munerare dignati estis, accepi, & iam dudum rescripsi, gratiasq; egi. Sed video ex literis Clarissimi viri DN. D. TOXOTII epistolam vobis traditam minime fuisse, quam ob rem doleo, & ne culpam in me transferatis, demisse rogo: iterumque gratias habeo, & ago maximas. Tu verò vir G. DN. GEORGI, iam nouo, nec profectò exiguo honore ac beneficio, carmine scilicet tuo doctissimo, atque elegantissimo, in secundam centuriam Observationum mearum scripto, ac transmissio, me afficis: faxit Clementissimus ille Pater cælestis, vt insignem illam liberalis animi tui erga me significationem, posthac aliqua in re compensare queam. Quod T. G. studio & operationibus Cheirurgicis sedulo incumbit, & non ita pridem grauissimam combustionem, ex puluere tormentario factam, feliciter curauerit, ex literis DN. D. TOXOTII cum gaudio intellexi. Vtinam plures haberemus nobiles, qui tecum nobilissimam antiquissimamque, ac generi humano tam necessariam artem cheirurgicam illustrare, & in pristinam suam dignitatem restituere dignarentur. Hæc porro tua curatio casum funestum, qui Coloniae accidit, in mentem mihi reuocat, quem T. G. non communicare non potui.

Anno 1599. Coloniae in platea quadam, *Die kleine Bottegasse* vocata, ceruisiarij cuiusdam famulus, cum circa ahenum occupatus, & forte fortuna in eum, cereuisiâ feruidâ plenum, cecidisset, etiamsi ipso momento extractus fuisset,

T

Cheirurgorūq; auxiliū implorasset, eadē tamē die, maximis cū doloribus & cruciatu, lipothymia, & similib' symptomatis corrept', è vita discessit. Ego quib. remediis tinctoris cuiusdā Paterniacēsis fanulū, in ahenum, tincturâ feruidâ plenum, incidentem, curauerim, ex cap. 6. tractat. mei, de Combustionibus, facilè videre poteritis. Valete Viri Generosi. Vestram G. Dom. Merula, DN. Oeconomus, DN. Cōsul, & domesticus mei omnes salutāt plurimū, Deūmq; Opt. Max. toto corde precamur, vt hic annus vobis lætis auspiciis ineat, lætioribus procedat, lætissimis exeat, ac sæpius recurrat, sēper felicior. Dabā Paterniaci Auenticorū 2. Ianuar. Anno 1610.



OBSERVATIO LXXVII.

De aliis quibusdam lethalib. combustionibus.

Viro Generoso DN. GEORGIO

LYCKE DANO,

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

QVām multis ærumnis ac calamitatib. vita humana obnoxia sit, Vir Generose, olim in libello quodam rithmis Germanicis scripto, decantaui, infantulósque, cum primum periculum partis euaserūt, infinitis aliis periculis veluti fasciis inuolutos esse: & sæpissimè etiam ex minima causa perire declarauī. Cuius rei fidem faciunt funesta illa exempla subsequētia, quæ

quæ etiam ad materiam, quam in proximis & præcedentibus meis ad T. G. literis tractavi, spectant.

Anno etenim 1608. cum quadam die, historiam in præcedentibus meis ad T. G. literis recitatam coram viro prudentissimo DN. IOH. VVILLADINO pro tempore Præfecto Auenticensi dignissimo, Compatre meo perpetuùm honorando narrarem, vxor eius DN. MARGARITA DE MVLLINEN matrona nobilitate, pietate, & virtute ornatissima, mihi duo subsequenda exempla, non minus horrenda, quàm deploranda, quæ & hoc ipso anno Auentici acciderant, præfente DN. EMANVELE VRSTISIO Artium liberalium magistro, conuictore meo, communicauit, quæ libenter publici iuris feci, vt matres circa curam puerorum prudentiores, & cautiores esse intelligant & discant.

EXEMPLVM I.

Primum exemplū fuit de infante recens nato, quem muliercula quædam ex adstantib. linteis calefactis inuoluerat, ac in incunabula posuerat, inter calefaciendum verò, linteaminibus scintilla infiluerat: quapropter mater circa mediam noctem expergefacta, ac adustionem linteaminum olfacta percipiens, infantem arripuit, sed iam mortuum ipsum reperit, adeo peccus eius erat à combustione læsum.


EXEMPLVM II.

Alterum fuerat de puella trium circiter annorum ætatis, quam mater interim dum

in agris negotia rusticana perageret, solam culinæ incluserat: ex agris domum reuerfa, puellam, cui vestes vndique ardebāt, mortuam iam offendit.

Obferuauī & contrarium, Circa annum enim 1584. Hildenæ in patria viri cuiusdam *Girhardi auff der Sandbach* nomine, infans, vix sex mensium ætatis, diuinitus planè in ipsa, vt ita dicam, flamma, conseruatus fuit. Mater enim cùm infantem huncce linteaminibus calidis, in quibus scintilla remanserat, inuoluisset, ac in lectum posuisset, & solum reliquisset, hortumque vt terram verteret, intrasset, nescio quo terrore insolito, paulò post, percussa fuit. Itaque in summa illa anxietate domum ingreditur, & cùm cubiculum, quod fumo impletum, aperuisset, infantem inter linteamina, veluti in ardentem igne, inuenit; vndique enim, & circa infantem ardebant omnia: saluum tamen & illæsum ipsum recepit. Ita omnipotens ac misericors ille Deus Pater cælestis pro salute hominis sollicitus est ac vigilans. Vale Vir generose. Paterniaci Auent. 10. Ianuarij 1610.

OBSER-



OBSERVATIO LXXVIII.

Ex lacte coagulato scirrhus canerosus a-
liaque incommoda sequuta.

*Clarissimo atque Doctissimo viro DN. AN-
DREÆ VVEICKIO Medicina Docto-
ri, amico & conuictori meo plu-
rimum honorando,*

*Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.*

QUod saluus & incolumis Basileã perue-
neris, Clarissime atque amantiſſime DN.
D. VVEICKI, cùm ex tuis ad me datis literis,
tum etiam ex famulo maximo cum gaudio in-
tellexi. Clementiſſimũq; illum Patrem cœleſtẽ
ſuppliciter oro, vt optimi ac pij Tobix condu-
ctorem tibi adiungat, per eundẽmque T. Exc.
ad paternos Lares feliciter reducat.

Cæterum ante dies aliquot matronam illam
Soloduri, quæ grauiſſimo illo affectu, Cancro
ſcilicet occulto, ex lacte coagulato olim cõtra-
cto laborat, quãmque aliquãdo mecum vidisti,
iterum inuiſi: medicamenta quinetiam non-
nulla tam interna quàm externa præſcripſi, ex
quibus & fructum aliquem percipit. Morbum
tamen planè inſanabilem eſſe adſtantibus de-
nuò ſignificauit. Suasit Empiricus quidam vt
cauſticum aut veſicatorium aliquod adhibere-
tur, & incluſa materia hoc modo euacuaretur,

T iij


hoc verò quam absurdum ac periculosum sit consilium, ipsis, & rationibus & multis exemplis ostendi. In primis autem historiam, funestam profectò, matronæ cuiusdam ex nobili familia, hîc in vicinia, ad quam ego Anno 1606. vocatus fui, (quàmque ægra nostra optimè cognouerat) in mediũ adduxi. Illa cū cæcro occulto per multos annos ad papillã dextrã laborasset, tandèmq; tuberculum à Cheirurgo quodam ruptum fuisset, sequutum est malignum ac foetidum vlcus, ex quo maximo cū cruciatu vitam finiuit: vti fusiùs in tertia Centuria Observationum mearum videbis.

De Cancro porrò ex lacte, in mamma concreto, singulare exemplum mihi hîc observare contigit, quod tibi nunc communicare visum est. Honestã quædam mulier, in agro Bernensi, infantulum lactãs, phlegmone in dextra mamma corripitur. Ex qua lac in mãma ista coagulatum, atque in grumos concretum est. Extincta inflammatione, grumus quidam in ea parte mamme, quæ respicit axillam remansit. Ex quo paulatim exortus est scirrhus, qui tandem in cancerum malignum degeneravit. Quantumvis enim exulceratus nondum esset, tantus tamen aderat dolor, præsertim noctu, vt aliquoties prunas subesse sibi persuaderet. Cùm per annos quinque (si rectè memini) in isto cruciatu vixisset, & scirrhus ille cancerosus proximus esset exulcerationi, me conuenit: tum in dextra mamma cancerum occultum pugni magnitudinem longè excedentem, durissimum, ac liuidum deprehendi. Sub axilla quoque scirrho

scirrhii tres, quorum vnus magnitudinē oui ad-
 æquabat delitescebant. Hi tamen maligni non-
 dum erant, neque Cancrum sapiebant. Præpa-
 rato satis corpore, tum optimâ victus ratione,
 tum purgationibus & venæ sectione, die 21. Iu-
 nij Anno 1606. præfente Reuerendo viro DN.
 IOH. MERVLA. huius Ecclesiæ ministro fide-
 lissimo, ac DN. EMANVELE VRSTISIO Ar-
 tium liberalium magistro, conuictore meo
 suauissimo, tumores hosce scirrhosos omnes
 excidi, ita vt breui conualuerit. Id verò in pri-
 mis fuit notandum, ipsam, interim dum scir-
 rho isto laborauerat, semel vtero gestasse, & i-
 psammet infantulum lactasse, qui tamen infan-
 tulus vix sextum mensem ætatis attigerat, Cùm
 circa emunctoria vndique scirrhosis tumori-
 bus scatuerit: vnde tandem languidè vitam fi-
 niuit. Materia enim cancri in mamma concre-
 ta, atque incuneata, lac, proculdubio, acre, ma-
 lignum & semi venenosum effecerat. Matres i-
 taque, sic affectæ, infantulos lactare minimè
 debent. Si enim lac in stomacho coagulatum,
 veneni instar, grauissima symptomata infert,
 vt Galenus, Aëtius & multi alij testantur,
 multo malignius efficietur, si in mammis
 coaguletur ac includatur. Quomodo autem
 in præcedenti operatione successi, proximè ti-
 bi literis communicabo, nunc non licuit. Vocor
 enim Freiburgum ad nobilem matronam, quæ
 similiter, vt audio, Cancro exulcerato laborat:
 quicquid autem sit, posthac ad te scribam. Salu-
 tant T. Exc. Reuerendus DN. MERVLA, DN.
 T iij

Gal. lib.
 decibus bo-
 ni & ma-
 li succi.
 Aëtius Te-
 trab. 4.
 serm. 1.

OECONOMVS, & domestici mei omnes. Saluta, quæso, meo nomine peramanter DN. D. PAVLVM HEBNERVM. Ille quod me in trāsitu hâc non offenderit, doleo. Vale vir clarissime & feliciter viue diu. Paterniaci Auenticorum
25. Ianuar. 1610.



OBSERVATIO LXXIX.

De excisione tumorum axillarum & abscissione mammarum.

Ad eundem

Virum clarissimum atque doctissimum DN. D. ANDREAM VVEICKIVM.

HEri sub noctem, clarissime DN. D. VVEICKI Freiburgo redij: Matrona illa, ad quâ vocatus fuerâ, nō cancro, sed steatomate in vlcus aliquomodo malignum, degenerato laborat. Ante paucos dies puella hîc sub plaustrum, lignis onustum, cadens, gravissimum affectum cruris sinistri contraxit. Rota enim non solum musculos, & vasa, verum etiam ipsa ossa dilaceravit atque confregit. Multos mihi parit labores atq; molestias, affectus iste, propter symptomata quæ superueniunt: qualis nâ verò erit exitus, posthac ex me intelliges. Nûc enim reliqua quæ in præcedenti, tibiq; communicata observatione desiderâtur, addêda sût. Difficilem autē simul & periculosam esse excisionem tumorum axillarū, præcipuè si magni fuerint, cùm in aliis, tum in primis, in illa fœmina

lib. 1. cap. 1. p. 100.
-o
-a
-i
-t
-f
-i

mina, cuius in proxima præcedente Obseruatione mentio facta, obseruavi. Periculosa propter venarum thoracicarum eo in loco concursum, ex quo hæmorrhagia timenda: deinde quoque eam ob causam, quòd attrahendo huiusmodi tumores, musculi pectorales, & respirationi inservientes, simul lædantur, hinc suffocationis periculum. Quamobrem paulatim, modestè & clementer hisce in partibus operandum conuenit. Difficilis verò, propterea quòd brachio dependente tumor in profundo delitescat, atque abscondatur, & brachio tota axilla obtegatur: sin verò eleuetur brachiũ musculi, membranæ, vasa, sin. ul & tumor ipse adeò extenduntur, vt difficilimè separari possit, in primis verò, si profundius membranis adhæserit. Prudenter itaque in huiusmodi operationibus agendum est. Sed & ante omnia diligenter explorandum, an tumor ex vna in alteram partem vacillari atque moueri, & radicatus extirpari possit. Inanis enim foret operatio, si pars aliqua tumoris, quantumuis minima, imò etiam membrana, quã vt plurimum huiusmodi tumores integuntur, remanserit: repullulat enim malum, fitque prior malignius. Nec sperandum id quod remansit, causticis auferri posse: iis enim cancri ita irritantur, vt ad summam malignitatem perueniant, sicuti Obseruat. i. centur. i. & alibi, demonstrauimus.

Hoc autem modo in operatione præcedentis Obseruat. processu. Brachio mediocriter à ministro in altum eleuato, cutem in longitu-

dinem secundum tumoris magnitudinem incidi, postea tumorem diligenter separavi, cauique ne venæ abrumperentur aut inciderentur propter hæmorrhagiam, quæ in hac operatione totum negotium inuertisset. Ab ea itaque ut securus essem, maiorem partem istius tumoris, qui magnitudinem oui gallinacei adæquabat, unguibus separavi. Deinde tumore sequenti forcipe apprehenso ministrum iussi, ut forcipis huius beneficio tumorem quantum, (absque tamen maximo dolore) fieri posset, deorsum attraheret. Postea acincuruatâ, quam in promptu habebam, interim dum minister forcipe tumorem ad se attrahebat, venas, quæ tumori inferebantur, primò ex superiori, deindè quoque ex inferiori parte tumoris apprehendi, ac firmissimo nodo ligavi. Tandem tumorem audacter separavi, atque intra ambas ligaturas fili, excidi, ita tamen, ut filum extrâ vulnus propenderet, quo & suo quoque tempore extrahi posset. Reliquos quoque binos tumores, auellanæ magnitudinis, maiori adiacentes, paruo cum negotio auulsi, atque extraxi.

*Mammæ
abscissio.*

Tandem ad scirrhum cancrosum, totam ferè mammam ad costas penè vsque occupantem, peruenimus. Incisâ itaque cute circumcâ tumorem (quandoquidem cuti tenaciter adhærescebat) ipsum, tum digitis, tum cultellis separatoriis, facili negotio separavi atque extraxi, & postquam aliquid sanguinis effluere permissem, pulverem nostrum

nostrum ad sanguinem sistendum stupis, albumine oui madefactis, imposui: Pectus, humerum & brachium oleo rosarum inunxi, & puluillum ex stupis mollibus, vitello & albumine oui cum ol. rosar. conuassato, intinctis, applicui, fasciæque omnia colligavi. Cordi verò epithema admoui, & ad virium lapsus nonnihil aquæ cinamomi absque vino destill. in qua confectio Alkermes dissoluta erat, ea die, & sequenti nocte frequenter ex cochleari exhibui.

Alterâ die denuò supradictas partes ol. rosar. inunxi, vulneribus verò sequens digestiuum cum filamētis imposui, & Emplastro Basilicone obtegi.

℞ therebinthinæ lotæ in aq. scabiosæ ℥ij.

*Vnguentū.
Digestiuū.*

ceræ nouæ &

gummi elemi an. ℥j.

ol. rosar.

amygdal. dulc.

de vitell. ouor. an. ℥. s.

croci ℥j.

vitellum vnius oui, Misce fiat vnguentum s. a. His & similibus vulnus aliorum vulnerum more, breui curauimus, sicque diuino solo fauore, sceminam illam sanitati restitimus, quæ & postmodum prolem sanam progenuit, ipsametque lactauit.

In excisione autem atque extractione tumorum axillarum, leniter & paulatim procedendum est: dùm enim siue forcipe, siue quouis alio modo tumorem attrahimus atque separamus, musculi respirationi inseruientes

simul attrahuntur: hinc factum, vt durante operatione mulier hæc aliquando respirare non posset. Id quam primùm animadvertissem, paululùm ab operatione remisi, ne suffocaretur, sed vires recolligeret, deinde denuò opus aggrediebar. Frigida quoque & valdè repercutientia, his in locis applicanda minimè sunt, ne materia ad pleuram, aliásque partes nobiles repellatur, ibique inflammationes excitet. Vt igitur incommodum hoc euitarem, corpus ante operationem quater aut quinque quies per interualla, & diebus interpositis purgavi, apozemata propinaui, venam incidi, & optimam atque tenuem victus rationem præscripsi. Quòd si vero affluxus aliquis humorum post operationem superuenierit, cucurbitulæ scapulis sunt applicandæ, venæ item maleoli incidendæ, vt sanguis & humores deorsum trahantur. Dolor item ingens si sequatur, loco Emplastri basilici, sequens Cataplasma calidè applicetur.

℞ micæ panis albi ℥vj.

butyri recent. non saliti ℥ij.

pulu. sem. cydonior. &

scenogr. an. ℥ij.

Coquantur in lacte vaccino recens emulato, ad consistentiam cataplasmatum; tùm admisce,

croci puluerisati ℥j.

ol. de vitell. ouor. &

rosar. an. ℥ss.


vitellum vnius oui. Misce, fiat Cataplasma,

Cataplasma
ano-
dynam.

plasma, quod bis aut ter interdium calidè applicetur. In excisione prætereà cancri, diligenter obseruanda est Galeni doctrina lib. 14. meth. med. vbi iubet, vt exciso cancro cum tota sua radice, sinamus aliquid sanguinis ex proximis venis effluere, quod & ego hæctenùs in omnibus studiosè obseruauì. In prædictis verò tumoribus scirrhosis doctrinam Galeni sequi non licuit: propter maximam enim, quæ sequuta fuisset, hæmorrhagiam, prius expirasset ægra, quàm tota absoluta fuisset operatio, quandoquidem ex longa hac operatione iam antea satis debilitata erat. Quapropter venas sub axilla cõstringere ac ligare coacti fuimus. Sed & non vsque adeò necesse fuisse videbatur sanguinis fluxus, quandoquidem tumores illi, qui sub axilla latitabant, nondùm maligni & cancrofi erant. Cæterum quæ promisi, nimirum Scalpellum simul & Anatomiam Vitrioli, mitto, tu, quæso, omnia æqui bonique consule. Domestici mei omnes mecum T. Exc. plurimum salutant. Vale, vir clarissime, & me tuum cense. Paterniaci 1. Februarij 1610.

*T. Guilhelmus Fabricius
Hildanus.*

Figura forcipis & cultelli separatorij.



OBSER-

in
 fe
 vi
 ei
 m
 en
 du
 ue
 p
 pu
 cu
 hi
 in
 ge
 m
 m

 M
 un



OBSERVATIO LXXX.

*Incipiens Scirrhus ex lacte coagulato,
quomodo sanatus.*

Matrona quedam iuuenis & robusta, Hildenæ in patria dum infantem lactaret, inflammatione sinistrae mame correpta fuit. Quâ sedatâ, tumor & durities adeò magna remâsit, vt de scirri generatione nō parua esset suspicio. Multis licet & variis, præsertim Empyricis, medicamētis, topicis emollientibus ac discutientibus vsa esset, nihilominus tamen tumor & durities remansere. Ego tandem vocatus, puluere passamanti cum rhabarbaro leuiter ipsam purgavi, infans quoque vt ab lactaretur, protinùs imperavi. Postea mammæ, & circumiacentes partes oleo rosaceo, cui nonnihil aceti admixtum, per aliquot dies inunxi, eū in finem, vt affluentem sanguinem pro lactis generatione repellerem & cohiberem. Mammam quoque singulis diebus sequenti linimento inunxi.

Linimentum.

& emplastri de mucilagibus zij.

ol. lilior. albor.

amygdalar. dulc.

pingued. gallinæ an. ℥j.

gummi ammoniaci in aceto

scyllitico dissoluti, & percolati ℥.s.

Misce, fiat linimentum, quo tota mamma inungatur. Sequens Cataplasma bis in-

terdiu calidè applicare iussi.


Cataplasma.

℞ folior. & radic. maluar. quātum sufficit.
 Incidantur minutim, postea coquantur in aqua, & in mortario lapideo pistentur, fiatque cum farina fabar. axūgia porci, gallinæ, anatis, & proprio decocto maluæ Cataplasma. Quo applicato, & per interualla corpore probè expurgato, decentique victus ratione obseruatâ, tandem tumor ille durus emollitus & resolutus fuit. Vlcusculum verò ad papillam insperione pulueris præcipitati, superimposito emplastro Vigonis seu ranis consolidauit. Hoc modo præter omnium spem & opinionem breui sanitati integræ restituta fuit, neque postea vllum incommodum huius mali perferensit.

Similis Casus.

Similem casum anno 1607. Lucenciis in matrona quadam nobili præsentè Ornatissimo atque doctiss. D. EMANVELE VRSTISIO conuictore meo suauissimo, iisdem fermè remediis feliciter curauit.

OBSER-



OBSERVATIO LXXXI.

Ex prolapsu intestinorum in scrotum gra-
uissima symptomata, tandemque
mors sequuta.

Ad

Clarissimum atque Doctissimum virum, DN.

SEBASTIANVM MEYERVM Reipub.

Friburgensis Doctorem Medicum

ordinarium ac celeberrimum.

rimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

CAsum illum grauissimū, Generosi DOMI-
NI DE CVGEY, Vir clarissime, ac amice
plurimū honorande, sæpè mecū rumino. Quā-
doquidē Excell. T. pro ingenij sui dexteritate
& rerū experiētia statim ab initio morbi sumā
adhibuisse diligentia, nihilq; eorū, quæ ad me-
thodicā curationē spectāt, prætermisisse, atte-
stari possū: Chirurgū quinetiā vestrū, qui antea
illi intestinū nō semel reposuerat, nūc quoque
mun⁹ suū obiisse, nō dubito. Quia igitur Medi-
camenta & manualis operatio, quæ infinitos a-
lios, in dō & ipsum met Generosū Dominū, ali-
quoties antehac in simili casu feliciter resti-
tuere, nunc incassum, & absque omni fructu
adhibita fuerunt, abstrusum aut potius diui-

V

num quid morbo huic subfuisse, liquidissime apparet. Sed diuinę providentię ita visum fuit, optimum atque generosum huncce virum, qui multis & varijs, tum corporis, tum animę periculis Hierosolymam illam terrestrem (vt ita dicam) peragrando, inuiserat, nunc ad celestem Hierosolymam vocare. Porrò Clarissime vir & amice, ne diutiùs promissionem meam differa, in ea, quę in simili affectu, nō ita pridem, mihi videre contigit, tibi communico.

Nobilis quidam in Cuilly ad Lacum Lemannum DANIEL DE CHALLON nomine, per annos aliquot Enterocèle lateris dextri laborans, tandem 20. Octobr. Anno 1606. cum violento nimis exercitio atque motu usus esset, intestinum in scrotū delapsum fuerat. Vnde statim dolor ingens totius ventris exortus, eadem nocte quoq; vomitus frequens, inquietudines, vrinę item, & excrementorum retentio supervenerant. Ille verò remedijs neglectis, symptomatisque indies ingrauescentibus, propter doloris vehementiā, die 23. coactus fuit accersere D. IACOB. MARRIONEM apud Lausannenses Pharmacopolā exercitatissimum. Qui agrū in summis angustiis constitutū vidēs, suavit ut me aduocaret, verū ne interea tēporis in mei absentia, ociosus ibi degeret, Fomentationes & Emata emollientia, anodyna & flatus discutientia exhibuit & applicuit. Ego 24. mensis huius die, qui quartus morbi erat, illum inuisens, maximis doloribus & inquietudinibus, vomitu quinetiā continuo infestatum, retentione item excrementorum, & vrinę, laborantem, offen-

offendi, id tamen, quicquid urinae excerneret, subrubicundum erat. Atque illa retentio urinae ad 25. diem vsque perſiſtebat, quâ sub crepusculum urinam maximè furfuracea n excernebat, Exinde verò absque omni difficultate, imò quod magis mirandum, ad ipsam horam mortis vsq; urinam tum colore, tum consistentia fanorum urinis planè similem reddebat. Scrotum porrò inflatum ac durum adeò erat, vt tactui omninò reniteretur.

Statim itaque illi sequens Enema præscripti.

℞ radic. & folior. in aluarum

altheæ

folior. violarum

betæ

parietariæ an. M. j.

flor. chamomel.

meliloti

sambuci an. M. s.

sem. scenogræci

lini an. ℥. s.

anisi

sceniculi an. ℥. j. Coquantur ad tertias]

Colaturæ sume ℥. v. In quibus dissolve

electuar. diacathol. ℥. s.

vitellor. ouor. n. ij.

ol. chamomel.

anethini

butyri recent. an. ℥. ij. Misce,

fiat Enema.

Scroto verò sacculum eiusdem Enematis radicibus, herbis, floribus & seminibus confectum, & aquâ coctum, calidè applicui.

V ij

Enema congruit

feri cum seq.

f. 317

Sacculus ad scrotum infra lorum intro

*Zinnamen-
num.*

Idem quoque Scrotum & ventrem oleo anethino & chamomelino inunxi.

Enemate reiecto, aliud denuò exhibui, sacculum præscriptum calidè applicui, scrotumque & ventrem, vt prius, inunxi.

Reiecto verò & hoc enemate, ægrum in lecto capite reclinato, pedib. verò elatiorib. collocaui, atque intestinū in locum suum reponere tentavi, sed frustra. Quamobrè ne quid fortè mihi exprobraretur, si res ex animi sententia minùs succederet, suasi, vt D. ABELM ROSCIUM apud Lausanenses Medicū celeberrimū ac doctissimū, accerferet. Ille, cū aduenisset, voluit, vt eadem die denuò de Intestino reponēdo, periculū facerè, id si minùs succederet, fomentationes, inunctiones & Enemata continuerè, quin etiam, vt herbar, radices & residuū ex decoctione clysteris in mortario lapideo contūderentur, postea per cribrū cupreū pistillo ligneo traducerem, ex iisq; cū mica panis, vitellis ouorum, oleo anethino & chamomelino fieret cataplasma, qd calidè ac frequētius applicaretur. Idem quoq; Medicus vt æger sequenti nocte ter aut quater aliquid olei amygdalar. dulciū biberet, alterâ verò die tēpore matutino potiunculâ laxatiuam sumeret, imperauit. Circâ vesperâ itaq; an intestinū reponi posset, frustra cū tentassem, Enemata, Fomentationes & Inunctiones continuare cogebat. Oleū verò amygdalar. dulcium, quia sibi nausèâ mouebat, assumere non potuit.

Alterâ die Potiunculam hanc à D. ROSCIO præscriptam illi exhibui.

*Potiuncula
laxatiua.*

expressionem rhabarb. in aqua

men-

*Cataplasma.
sma.
Vide cataplasma
Parai.*

menthæ infusi ℥j.

syr. rosar. solut. ℥j.

syr. violac. ex infusionibus ℥ss.

Misce, & dissolue in aqua menthæ & hyssopi, fiatque potio, quam horis quatuor ante prædium sumat.

Sed quū potiunculā hanc paulò post cum pituita multa, & nonnihil humoris biliosi euomisset, denuò fomentationibus vsus fui, Enemāq; ex præscripta decoctione, in qua parū Electuarij Benedictę laxat. & hieræ simplicis cum vitellis ouorum, sale & oleis præcedētium clysterum, dissolutū erat, infudi. Cuius beneficio nonnihil excrementorum induratorum ac fœtidorum excernere cœpit. Hinc dolores aliqui ex parte fuere diminuti, inflatio item & tumor nonnihil subsidit, vt scrotum manib. tractādo, murmur intestini obaudiretur. Circā vesperam cum denuò simile Enema exhibuissem multū reddidit excrementorum, intestinum quoq; leui cōpressionē manū simul reductū fuit, scrotum tamen adhuc vehemēter intumefacto, indurato, ac dolore affecto, adstringentia applicare non licuit, sed sequens Cataplasma emolliens, & flatus discutiens admouit.

& farinæ fabar. ℥iiij.

pulu. flor. chamom.

meliloti

sambuci an. ℥ij.

pulu. sem. anisi

fœniculi

cumini an ℥ss.

pulu. baccar. lauri ℥j.

Cataplasma emolliens.

N. fol. 318

Cum decocto radicum althææ, maluæ, parietariæ, florum chamomel, meliloti, sambuci, & seminis fœnogræci, fiat Cataplasma, quod bis aut ter in die calidè applicetur.

Die 28. mensis huius circà vesperâ, iusculû illud quod paulò antè sumpserat, cum multa pituita fœtida euomuit, cum nihilominus tamen ea nocte sponte aluum, & quidem excrementum laudabile, benèque digestum exonerauisset.

Vigesimalâ nonâ die manè rursus sponte beneficium ventris habuit, sed excrementa liuida, aut cinericei coloris instar, & fœtidissima, erât. Eadem quoq; die bis, iuscula illa, quæ absumpserat, mixta pituita fœtidissima reuomuit. Nocte verò sequenti vomitus continuus & fœtidissimus cum lypothimia superuenit, vnde cordi Epithema aliquod applicui.

Die trigesima mēsis, quæ morbi dies decima erat, continuò, & quidem materiã fœtidissimã adeò copiosè euomuit, vt mirû, vbi tâta in corpore copia materię retēta fuerit. Assiduo quoque egerēdi conatu, cū modica tamē egestione vexabatur, atq; excrementa fœtida, nūc solida, sed cinericei coloris, nūc verò liquida, purulēta tamē, aut sanguinolēta excernebat, atq; sic tota illa nocte, quæ principiū erat vndecimi, in eodē statu permanebat, ità vt iuscula, vinū, & quæcunque offerebantur, recusaret: Sequenti enim die, quæ finis vndecimi, circà meridiem placidè ex hac ærumnosa vita ad beatorum sedes demigravit.

Porro nonnulla in hoc morbo obseruatione digna occurrunt. Inprimis enim vrina à sexto mor-

morbi die vsque ad extremam vitæ horam sa- *Quæ in*
 norum vrinæ similis, planè conspiciebatur. *hoc affectu*
 Contrà verò pulsus à quarta die morbi quâ *observada.*
 primò ad ægrum vocatus, ad finem vsque con-
 tinuò tam debilis, tamque exilis & obscurus, vt
 hominis iam iam morituri pulsui similis omni-
 nò esset, reliquæ tamen facultates & actiones
 adeò validæ, vt interdùm vestes indueret, & in
 conclavi ambularet. Materiam illam viscidâ,
 pituitosam, ac fœtidissimam, quam euome-
 rat, non omninò ex intestinis, sed partim aliū-
 dè vbi diu inclusa fuerat, processisse, indè appa-
 ret, quòd ante morbum aliquandiu valetudi-
 narius adeò fuerat, vt & à pastu anhelitus (qui
 grauis ac fœtidus, præcipuè tempore matuti-
 no) aliquâ difficultate laboraret, tussiculâ
 quoque siccâ, ad mortem vsque illum comitâ-
 te, continuò vexaretur, de dolore item stoma-
 chi sæpissime cõquereretur. Ex quibus perspi-
 cuum fit, ipsum non solùm propter intesti-
 num prolapsum, sed aliam quoque interno-
 rum viscerum putredinem extinctum fuisse:
 facile tamen concessero, intestinum aliquam
 corruptionis notam præse tulisse: Quandoqui-
 dem fieri non potuit, quin pars illa intestini, in
 ipsa abdominis ruptura, sex dierum spacio cõ-
 pressa atque coarctata, alimento suo priuata,
 actandem corrupta fuerit, (sicut etiam ex Ob- *f. 200.*
 seruat. 72. Centur. 1. colligere licet) ex qua tamẽ
 intestini putrefactione tantus fœtor, quantus
 hîc aderat, pro manare non potuit. Utinam
 igitur Amici, post mortem ipsius cadaueris dis-
 sectionem concessissent, multa dubiò procul

rara & notatu dignissima nobis innotuissent.
His vale Vir clarissime, & amice plurimum
honorande, cū honestissima tua coniuge, quā
mecum COLINETEA mea salutatur pluri-
mum. Paterniaci Auenticor. 12. Ianuarij 1607.

RESPONSIO

De Nobili Enterocelico.

Observationum utilitas.

Enteroccele curata diuinitus.

GVILIELMO FABRICIO HILD.

Medico præstantissimo,

SEBASTIANVS MEYERVS

S. P. D.

Observatione transmissā, Præstantissime
Medice, amicēque observande, verum te
Hippocraticū exhibes, referisque *ἀνεξήγητα* sin-
gulari, diuinum nostrum senem, in Epidemiis,
describendo singula morborum Nobilis En-
terocelici tempora.

Quantum verò istiusmodi conducant singu-
lares confirmandis Medicinæ catholicis theo-
rematis observationes, testatur Galenus no-
ster, Argumento primi Epidemiorum, verbis
hisce notatu dignissimis. Singularia, inquit,
autumant Empirici vniuersalis constitutionis
esse principium, illaque tandem asserunt vera
præcepta esse, quæ constituuntur ab experien-
tia. Nobis multò aliter adeoque numerosa
præcepta inuenta esse ratione videntur, quo-
rum tamē de veritate iudicium facimus, prout
stabi-

stabiliantur ab experimentis, & fidem accipiunt. Nam sic quidem, etsi quæ inuenta ratione, ac demonstrata sunt, de eo quid magnitudine Sol à Luna distet, his credamus tamē, cum à sensibilibus multis aliis, quæ Geometricę doceant rationes, & ab Eclipsibus singularibus confirmantur, fidem habemus maiorem. Quando igitur ab experimentis singularibus comprobata, quæ per Geometriam demonstrantur, accipiunt maiorem fidem, stabiliuntur firmitus: longè magis, quæ ex Medica disciplina sunt in uniuersum inuenta, singularibus sunt probationibus constituenda. Quæ nos obseruari in libris vulgarium morborum docebimus. Hactenus Galenus. Cùm igitur Præstantissime FABRICI, quæ ex medica disciplina in uniuersum sunt inuenta, singularibus tuis, tamque accuratis probationibus constituas atque fulcias, profectò institutum hoc præclarissimum prosequi, tuumque sic nomen, & publicam utilitatem amplificare constanter debebis.


Neque verò Pathologicæ tantum parti Medicinæ lumen affert, Observatio tua mihi comunicata, verum etiam Therapeuticę, dum remedia reponendo intestino feliciter, & ex arte adhibita Enemata, Fodus, Cataplasmata, Inunctiones, & reliqua commemoras. Quin & illud ex eadem patet, haud solo prolapsu intestini, sed alio quoque interiori affectu, nempe corruptela visceris alicuius extinctum ægrum. Qui viscidam illam, confertamque odore tetram, vomitu reiectam materiam, mesenterij profecto sedibus diu conclusam aluisse videtur. Re-

ctè item urinae illae sanorum similes, observatae
 abs te. Quae declarant eorum de vulgo insipientiam, qui Medicos (celato etiam aegroti nomine) ex sola urina de morbo ut pronuntiant, cogere volunt (quales & mihi nonnunquam molesti sunt) cum urina nullius saepe morbi vestigium praeseferat, quemadmodum ex hac tua liquet observatione. Ego vero ingratus sanè erga DEVM OPT. MAX. censeripossem, si duobus nobilibus viris commemoratis, enterocoele mortuis, ego eodem affectu, demum decimo, nempe, octavo anno, solo DEI nutu absque sectione liberatus, id beneficium, tam memorabile, silentio praeterirem.

AB
Cura divina
 Anno superioris seculi, octogesimo quarto, tempore belli Coloniensis in peramplo Gymnasio, & coetu amplius centum discipulorum, ideoque contentiore voce docti mihi, primò solà ruptione interioris membranae peritonæi, prolapsuq; intestini tumor in solo inguine exortus est, nò longo verò post tempore, cum dilatatio quoq; accessisset, eius membranae, quae in scrotum devolvitur, hoc pariter distentum fuit. Adhibeo Emplastrum vulgatum ad rupturam, sed eo diu frustra usus vno cingor perizonate à dicto iam octogesimo quarto anno, ad annum usque huius seculi secundum, meq; verò ætatis quadragesimum primum, hoc est, ad annum usq; morbi decimum octavum. Quo spacio toto cum nec quies curando necessaria, concederetur, nec orchotomia mihi probaretur, graves perferendae molestiae (per ventositates praesertim) elabere saepius intestino, fuere. Grauissim^o supremus mali dies

li dies extitit. Nā dū Einshemij, Alfatig vrbe,
 stipendiis Cæs. Maiestat. RYDOLPHI II. Curia
 Austriacæ medicinā facerē celebri quoq. vici-
 no Xenodochio, D. ANTONI EISENHEMEN-
 steiusque Administrator, Reuerēdissimo Do-
 mino Suffraganeo, FRANCISCO BERO, summo
 viro, salario annuo obligatus fui. Itaque indē
 Gebueileriū, Principis Marbacēs, (qui opera
 quoque utebatur meâ) sedē, verno tēpore pro-
 ficiscenti, immani cū dolore, vniuersū intesti-
 num erupturū videbatur. Nunquā antē, totos
octodecim annos tumor maior. Reuectus ab
 amicis domū, in fessu quodā anodyno dolorē
 paulū leniui, moxque petito lecto, sumo ex-
perrectus manē, & restituta cōcinne suo loco
peritōnæ & peritonæū ita firmatū atque cōsoli-
datū, deprehēdo, ac si nullo vnquā tēpore en-
terocele laborassē. Cū nq. nullo vnquā antē
 die perizonate carere ausus fuissē, iam abijcere
 illud, & absque eo incedere minime dubitavi,
 nec in hūc vsque diē eo egui, annosq. amplius
iam quinque, nec quicquā illius affectus (Con-
 ditori æternæ laudes ac gratiæ) percipio. Certē
 tam inueteratus affectus, in homine quadrage-
 nario, tēpore presertim, quo summū incremē-
 tum sumperat, Phisicis remediis, tāque breui
 depelli non potuit. Quare verū ἀλεξίκακον & li-
 beratorem meū D. O. M. agnosca laudaboque
 quandiu fuero, cuius proindē inusitati, & haete-
 nus, (mihi quidē) inauditi beneficij prædicandi
 gratiā, ac gratitudinis ergò, loco vt arbitror, nō
 incommodo, sub mentione scilicet duorū no-
 biliū hoc malo sublatorū, hæc adscripta volui.

Grauiſſimo ſub id tempus, per ſummam inani-
 feſtãque iniuriam affectus rerum mearum
 damno fueram, quod Maieſtatem Diuinam tã-
 to beneficio (quod quidem multis aureorum
 millibus prætulero) compenſare, ſarcirẽque
 voluiſſe crediderim. Eademque ab aliorũ quo-
 que me aduerſariorum machinationibus, quæ
 denuò paratę mihi videntur, paternẽ tueatur,
 teque diu incolumem ſeruet & ſoſpitet. Frybur-
 gi Auenticor. Calend. Februar. 1607.



OBSERVATIO LXXXII.

*Intestina in ſcrotum prolapsa, quo-
 modo reposita.*

QUAM grauiſſima ſymptomata, ac tandem
 mors quoque, ex prolapsu inteſtinorum
 in ſcrotum ſequuta fuerint, tum præcedenti
 Obſervatione, tum etiam Obſervat. 72. primæ
 Cęturix, ſatis ſuperque demonſtrauiſus. Nũc
 quomodo iis in ſitum naturalem reductis, ægri
 conualuerint, exemplis tribus ſequentibus, de-
 clarare operæpretium erit.

EXEMPLVM I.

Generoſo cuidam ex familia HATZFELDIO-
 RVM, à multis annis herniã laboranti, cũ qua-
 dam die inteſtina in ſcrotum prolapsa, flatũque
 protinũs diſtenta eſſent, dolor maximus totius
 ventri, vomitus continuus, cibi ſaſtidium, vi-
 gilia, inquietudines, præcordiorum anguſtia,
 & lypothymia exorta ſunt.

Ego

Ego alterâ die ad ipsum vocatus, quamuis
 grauiter, & non absque mortis periculo ægro-
 tantem offenderim, tamen aliquid tentandum
 suasi. Quocircâ statim sequens exhibui Enema.

℞ radicum althææ

maluarum cum toto

folior. violarum

parietariæ

flor. chamomil

meliloti

sambuci an. Mj.

sem. fœnogræci &

lini aliquantum contusi, an. ℥ i.

sem. anisi,

fœniculi

carui

cumini an. ℥ j.

Incidantur & contundantur omnia, postea
 indantur sacco, eius magnitudinis, quò totum
 scrotum possit cooperiri, qui intersutus co-
 quatur in ℔ 12. aquæ font. Huius decoctionis

℞ ℔ j. In qua dissolue

Electuar. diacathol. ℥ j.

vitellor. ouor. No ij.

butyri recent. non saliti, &

ol. commun. an. ℥ iij. Misce

fiat Enema, quod protinùs iniiciatur.

Sacculus verò parum expressus calidè applice-
 tur scroto, & recalefiat in eodem decocto, &
 applicetur, quotiescunque opus fuerit.

Post mediam horam reiecto Enemate, rur-
 sus aliud eiusdem decocti Enematis, cum ad-
 mixto Electuario, oleo, butyro, vitellis ouo-

Enema.

Supra f. 307.

Sacculus
 et clyster
 una op²

*Artificiosam
manu
operatio
nem*

rum, parúmque mellis infudi, & sacculum calidè applicui. Quo enemate denuò reiecto, & sacco calido intestino probè lubricato, agrú in lecto, capite declivi, pedibus verò in altum eleuatis, collocavi. Postea manu sinistra scroto apprehenso eoque ventrem versùs subleuato, & aliquo modo compresso, dextrâ verò imo vètris admotâ, reliqua intestina sursum versùs pectus retrusi, sicque intestinum prolapsum felici cum successu in locum suum naturalem reposui. Deindè ad intestinum suo in loco cohibendum, sacculum hunc adstringentè applicui.

R. rosar. rubr.

absynthij vulgar.

folior. prunor. sylvestr.

caudæ equinæ

fol. saluiæ &

musci quercini an. Mss.

corticum querc. ℥ij.

sem. foenic. & anisi an. ℥j.

Incidantur & contendantur, postea indantur sacco, qui filo intersutus, & vino rubro incoctus calidè frequentius applicetur.

Postera die, corpus sequenti potiuncula expurgavi.

R. radic. foeniculi

petrosel.

gramin.

polypod. querc. an. ℥ss.

herbar. agrimon.

veronicæ

cuscutæ an. Mss.

sem. anisi

foeniculi

*Sacculus
adstringens.*

Potio.

fœniculi an. ℥ij.

folior. fenæ mundat. ℥ss.

Coquantur in aqua, vt colatura redeat ad ℥iiij. In quibus dissolue Electuar. diacarthami & diaphœnic an. ℥iiij. aq. cinamom. destill. sine vino ℥ss. Misce. fiat potio.

Tandem Emplastrum aliquod adstringens applicui, & subligaculum adaptaui. Sic diuino fauore grauissimo hoc, periculosóque affectu liberatus fuit.

EXEMPLVM II.

IOHANNES HOFF. Grammateus Hildene, Compater meus plurimùm honorãdus, à multis annis Enterocœle grauissimè vexatus, cùm Anno 1593. in itinere aliquo modo defessus, in terrã somni capeffendi gratia decumbens, obdormiisset, intestinum ad magnitudinem ferè capitis infantis in scrotum prolapsum est, quod quia illicò repositum non fuerat, ab aëre tùm temporis satis frigido in ipso scroto frigefactũ & inflatum est. Hinc dolore exorto, ipsóque à somno expergefacto, vix domum (à qua iter vnius horæ aberat.) præ maximo cruciatu redire potuit. Ego ad illum accersitus, ipsum quasi semianimen, cum animi deliquis, vomitionibus frequentibus, iisque fœtidis, offendi. Dolores item tam maximi, tamque frequentes aderãt, vt subindè sese ex vna in alteram lecti partem iactare, coactus esset. Statim itaque suprascriptum Enema exhibui, & sacculum loco affecto applicui. Postea pedibus eleuatis capiteque decliui posito, intestinum felici-

ter reposui. Tandem expurgato corpore, & subligaculo applicato, plenissimè conualuit, multòsque dehinc annos sanus vixit.

EXEMPLVM III.

Anno 1607. die 26. Augusti. IOHANNES NADLER, faber sclopetarius, ciuis Paterniacensis homo septuagenarius & herniosus dolore colico cum intestini descensu correptus fuit. Ego quartâ die morbi vocatus, ipsum febricitantem, cum maximis doloribus inferioris ventris offendi. Intestinum cum nonnullis excrementis in eo cõtentis in dextrum inguen prolapsum erat, supràque modum durum percipiebatur. Quapropter cùm illud vi reducere, consultum minùs fore animaduertentem, protinùs ventrem, scrotum, & inguen, oleo liliorum albor. pinguedine anser. & caponis inunxi, sacculumque ex emollientibus, qualem suprà descripsi, calidè applicui, & enemata infudi. At quia in reductione intestini, quæ citrà violentiam maximam fieri non potuisset, timendum erat, ne intestinum læderetur, in vsu medicamentorum prædictorum. per dies aliquot pergere visum fuit. Interim excrementis in intestino prolapsis inclusis, emollitis, iniectis quoque per interualla enematis emollientibus & attrahentibus, intestinum paulatim in locum suum naturalem retrocessit, ita vt ex maximo isto periculo DEI beneficio liberatus fuerit.

OBSER-



OBSERVATIO LXXXIII.

De Gangræna ex contusione, quæ totum crus, scrotum & inguen, spacio 24. horar. mira cum celeritate inuasit, atque ægrum è medio sustulit.

Ad

Amplissimum atque celeberrimum virum D. GREGORIVM HORSTIVM Philosophum summum, ac Medicinæ Doctorem excellentissimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Mente, atque amicitia, minimè te à nobis seiunctum esse, etsi altissimæ rupes nos disungant, Vir amplissime & humanissime, literæ tuæ 14. Martij Vuittebergæ datæ, ante dies verò octo, modò mihi reddite, testatur: munera item, quæ simul mittis, plenius fidè faciunt. Vtinà ego Excell. T. eo tempore, quo hîc Paterniaci nos inuiserat pro dignitate sua, & vti decuisset, excipere potuissem, vel etiamnû officium aliquod præstare possem: proxima tamen occasione, quâ D. DORINGIVS ad me peruenerit, operam dabo, vt ipse intelligat, tuam commendationem, sibi non parum profuisse.

Tractatus tuus, de casu quodam admirando, liber planè Philosophicus, doctus & elegans,

X

mirum in modum gratus fuit, quem etiam eo maiori cum voluptate perlegi, quòd eo ipso tēpore, quo mihi redditus, circà casum non vulgarem, occupatus eram. In quo, quia nonnulla rara, & tuis speculationibus non indigna, occurrunt, eum communicare, ac ordine recensere, minimè grauabor.

Die 21. superioris mensis Iulij, STEPHANVS TOPPINVS, ciuis Staffiacensis, Oppidi hìc in vicinia ad lacum Neocomensem siti, quinquagenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cùm in maximis messis occupationibus, ipsemet plaustrum vacuum ducere tentasset, ac currendo in terram procidisset, rota internam partem suræ sinistri cruris dilaceravit, cum tibiæ ossis, à perioestio suo ad longitudinem spithamę, denudatione: neutrum tamen os fractum aut fissum fuerat, ità vt pedes domum, à qua iter dimidię horę abfuerat, se conferret.

Ego eadem die vocatus, illicò totum crus coxamq; oleo rosar. inūxi. Vulneri prius vino rubello, & aquà tepidà, à sordibus, & arenà, abluto, digestiuum sequens imposui.

℞ therebint. lotę ℥j.

cerę ℥ss.

gummi elemi ℥ij.

ol. rosar. ℥j s.

ol. de vitell. ouor. ℥j.

Dissolue lētissimo igne, postea admisce croci ℥ss. vitellos ouor. No. ij.

Vt autem affluxum humorum impedirem, fascià intinctà poscà, totum crus inuolui, victūq; opti-

Digestiuū.

optimum ac tenuē præscripsi, & pro potu ordinario decoctū agrimonie & veronice ordinavi. Hinc dolor plurimū remisit, noctem tamen eam, vtcunq; inquietam transegit. Circā scapulam quoque & humerum sinistrum (licet nullū manifestum contusionis indicium apparuerit) quia tamē eo loci de dolore cōquerebatur, eodem oleo rosar. inibi bis illū in die inunxi, adeo vt dolor scapulę intrā biduum cessauerit.

Die 22. Iulij sequēs medicamentū ei exhibui.

℞ syr. ros. solut. compos. cum rhabarbaro, *Potio*
agarico, & senna ℥j s.

puluer. sennæ præpar. ℥ij.

Cum decocto agrimonie & veronice fiat potiūcula, quā corpus leuiter purgatum fuit. Paulō post deligatione solutā, optima future digestionis signa apparuerunt. Denuō itaq; præscriptum digestiuum imposui, totū inq; crus oleo rosarum inunxi, & fasciā poscā imbuta, omnia colligavi. Circā vesperam eadem reiteravi, qua nocte optimē quieuit.

Die 23. Iulij summo mane basilicā dextrā (sinistra enim propter cicatrices ad cubitū, nullo modo in conspectum sese dabat) incidi, sanguinisq; ad ℥vj. extraxi. Solutā deligatione vulnere partem illā surę dilaceratę, & à subiecta carne disunctę, quia liuescebat, ac ad gangrænā tendebat, abscindere visum fuit, Quā parte in præsentia Reuerendi D. IOHANNIS DV MOVLLIN eius loci presbyteri, abscissā, eaque aceto & sale ablutā, Ægyptiacum nostrum ad radicem putredinis, reliquę verò parti vulneris, digestiuum imposui. Postea

sequens Cataplasma, quod putredini resistit, applicui.

℞ farinae fabar. ℥iij.

salis marini ℥i s.

pulver. summitat. absynth. vulg.

scordij vtriusque

rutæ an. ℥j.

Coquantur in Oxymelite simplici, fiatque cataplasma addendo sub finem,

myrrhæ

aloës an. ℥s. Misce, fiat Cataplasma.

Circà vesperam rursus eadem methodo processu, sed quia nox subsequens ei non admodum quieta futura videbatur, ad grana aliquot laudani ei exhibui. Qua nocte nullos dolores persensit, sed quietè & securè dormiuit.

Die 24. Iulij mane solutâ deligatione putredinem inhibitam, neque gangrenam amplius proserpere, certis signis conspicerelicit. Ad maiorem tamen securitatem, vnguentum Ægyptiacum, vt antea filamentis completatis, & ad radicem putredinis, totamque partem læsam suprascripto cataplasmate, cooperui. Intemperies nulla, neque inflatio aut dolor aderat. Domum itaq; me confero; circà tertiam pomeridianam illicò, & quidem me absente, in altera tibiæ, nimirum externâ parte suræ, dolore acutissimo corripitur.

Ego circà nonâ noctis horâ ad ipsum veniēs, maximis quidē dolorib. ipsū vexari, facilè convincere potui, absq; vlla tamen intēperie manifesta,

Cataplasma putredini resistens.

feſta, aut inflatione conſpicua. Vndè Hippo-
cratis ſententiam libro de vulneribus capitis,
animo voluens, videlicet, Carnem contuſã ne-
ceſſe eſſe putrefieri, & in pus conuerti, ab incoe-
ptis deſiſtere nolui, ſed denuò digeſtiuum im-
poſui, tibiaꝝ oleo roſar. inunxi, ac rurfùs tem-
pore ſomni non nihil laudani ei exhibui. Ve-
rùm tantùm abfuit, vt ſomnum capeſſere po-
tuerit, quin potiùs circà tertiam horam no-
ctis me accerſiuit, ſi fortè aliquo modo do-
lorem lenire poſſem. Deligatione itaq. rurfus
ſoluta externam partem ſuræ, & quidem ipſũ
locum dolentem ex parte liuidã deprehendi.
At quia dolor magnus, nihilque aliud in prõ-
ptu erat, illicò cataplaſma ex mica panis, lacte

*Aliud ca-
taplaſma
dolorẽ
niens.*

cocta, additis vitellis ouorũ, parũmq. butyri re-
centis, calidè applicui. Hinc dolor aliquo mo-
do ſedatus fuit, parũmq. æger quieuit.
Die 25. circà ſeptimam horam matutinam
ſolutis faſciis partem externam ſuræ palmæ
latitudine nigram & ſphacelatam offendi. Su-
bitò ergò Paterniacum me recepi, vt ea, quæ
pro morbi magnitudine neceſſaria videban-
tur, præpararem. Circà meridiem in-
ſtructus omnibus neceſſariis, & ad ægrum
rediens ſtatim ſic exclamat; ô vtinam at-
tuliffes ferram, tibia enim hæc eſt ampu-
tanda, quo hoc dolore & cruciatu poſſim alle-
uari.

Solutis ergò denuò faſcijs, totam externam
partem ſuræ, & ipſum pedem ſphacelatum, ve-
ſicis etiam nigris & maximis, nec nõ aquã lotu-
ræ carnis ſimili, repletis, animaduerti. Interim

tamen nonnullis in locis, dolores & maximi & continui aderant. Efflagitantibus itaque tùm amicis, tùm in primis ægrotò ipso, vt tibiam amputarem, denuò me domum contuli, & instrumenta cum omnibus ad hanc rem necessariis, mecum attuli, atque circà horam secundam pomeridianam ad egrotum rediui, tùmque totam tibiam, præter illam partem vulneris, cui præcedentibus diebus Aegyptiacum applicueram, syderatam, & in loco sano non amplius abscindi posse, comperi. Suprà genu item ad externam partem in quodam loco, crines novacula abradens, sonum, quasi vacuum aliquod subfuisset, percipere potui. Inde malum inibi subesse coniiciens, adstantibus atque amicis significare cœpi, amputationem planè infructuosam & inutilem fore, & vt alios Medicos atque Chirurgos in consilium aduocarent, suasi. Post duas horas, iterùm solutâ deligatione, locus iste, in quo antea sonum audiueram, prorsus sphacelatus deprehensus est. Circà decimam horam noctis in inguine ad scrotum, vesica oui magnitudine nigra, & aquâ loturę carnis simili, repleta, illicò exorta est: quâ ad apertâ, subiecta caro nigra & sphacelata conspiciebatur. Intra horas duas scrotum in magnitudinem capitis intumuit, & syderatum est. Tum æger sudoribus primò calidis, postea frigidis correptus, circà tertiam post mediam noctem, horam, quæ quarta dies sui morbi cum vndecim horis erat, ab incepta verò gangræna, hora vigesima quarta, placidè, & inter loquendum ferè expirauit.

Post

Post mortem totum latus & caput paulatim
 intumuerunt, vt sequenti die, cūm cadauer
 inhumare vellēt, capulū ampliare necesse esset.
 Sub hypochondrio sinistro vesica, quę magni-
 tudinem capitis adęquabat, nigra & aquā san-
 guinolentā plena, exorta est. Ex ore quoque &
 naribus aqua ista sanguinolenta, tām copiosē e-
 manauit, vt per cubiculum instar riuuli deflue-
 ret. Ex cadauere item talis fœtor expirauit, vt
 adstantes in fugam conuerteret.

Ab initio morbi vsque ad finem vitę vix vl-
 la febris in illo cognosci potuit, nullūmq; sym-
 ptoma febrile, veluti dolor capitis & renum, si-
 tis, siccitas & ariditas linguę, aut pulsus à natu-
 rali statu recessus, apparuerunt. Vrinę tamen
 statim ab initio morbi, ad finem vsque vitę
 sanguinolentę erant.

In ista autem recitata Historia, nonnullę
 occurrunt difficultates, quarum aliquę, quam-
 uis ex doctissimo tuo tractatu, facilē discuti
 possint, cupio tamen hac de re Excell. T. iudi-
 cium atque sententiam, si quando sibi per o-
 cium licuerit, vlteriùs intelligere.

Primò quidem, An Gangręna hęc tã furio-
 sa, tãque dira & immanis, vt vix vnquã simi-
 lis conspecta, ex cõtusione sola, vel ex causa ali *Primum*
 qua interna, & occulta orta sit nec ne? Ego ex *dubium.*
 sola illa cõtusione tibię, tã horrendum malū,
 oriri nō potuisse, planē sentio. Primò enim cō-
 tusio in tibia, etsi magna, pro magnitudine ta-
 men Gãgręnę, non respōdebat: erat enim cutis
 tātūmodò cū carnea mēbrana à subiecto mus-
 culo separata: ità quidē, vt ne ram' ille insignis,

qui per musculum, suræ partem internam, constituentem (qui crus moventium in ordine primus) superficietens descendit, dilaceratus aut disruptus fuerit, denudatus tamen, & integer conspiciebatur. Hanc quoque ob causam pars illa cutis dilacerata, & à subiectis partibus separata, nutrimento suo destituta, necessario gangræna & sphacelo, correpta fuerat. Hac vero parte abscissa, gangræna protinus inhibita fuit, quemadmodum antea dixi, neque postea ullum indicium gangrænae apparuit, usque dum totum crus inuaserat. Secundò, si Gangræna ex interna parte suræ ad externam serpendo penetrasset, vulnus prius labe ista infectum fuisse, quàm vicinas partes inuadere potuisse, luce meridianâ clariùs existit: at penetratio illa, quomodo sine dolore, inflammatione, & inflatione maxima fieri potuerat, nondum video. Post primam autem noctem usque ad 24. mensis diem, quæ fuit tertia morbi dies, nullum (pro magnitudine vulneris) dolorem, nullamque prætereà inflammationem adfuisse, sed optima signa digestionis apparuisse, testabuntur, & fidem facient adstantes, quorum ex numero erant Reuerendus D. IOHANNES DV MOVLLIN eius loci Presbyter, uti & D. EMANVEL VRSTISIVS Philosophiæ Mag. & Medicinæ candidatus, conuictor meus suavissimus. Adde quòd extremâ suræ parte nullum unquam indicium cõtusionis apparuerit. Tertiò non potuit gangræna hæc ab externa parte suræ ad coxam, nisi serpendo, ac in transitu partes, vnam post alterâ inficiendo, peruenire. Ac in

Ac in hoc casu, gangrænam, cum tibiam, tum etiam femur, inguen & scrotum, quasi vni, eodemque momento, (interim tamen hinc inde partes nonnullas illæsas relictas) inuasisse, ex præcedenti historia elicere licet. Potuit itaque contusio hæc in crure, meo quidē iudicio, esse causa adiuuans, præcipuum autem materiam aliquam venenatam ex corpore eò propulsam fuisse, planè sentio. Quãuis enim antea morbis non adeò obnoxius homo iste, quia tau: è rotæ, totum latus transgressa fuerat (id quod dolor circa scapulã indicat) potuit facilimè sanguis, aliquo in loco concretus ac putrefactus, in pestiferum hocce venenũ conuersum, postea verò à natura expulsus, hocce crudele malũ generare. Grauißima enim quandoque ex sanguine coagulato, FERNELIO de abditis rerum causis lib. 2. cap. 15. teste, symptomata oriuntur. Idem testatur FERNELIVS, aliquandò se partem sphacelari vidisse sine causa externa, sine tumore, aut rubore conspicuo, oborto, primũ dolore immanissimo, tandemque ægrum extinctum fuisse, sine febre, sine symptomatis admodũ grauibus, idque in hoc ægro bellè obseruare licuit.

Ex modò dictis autem oritur secundum *Secundum dubium.* dubium, nempè quomodo natura hancce pestiferam materiam absque symptomatis cõspicuis, puta, febre, syncope, deliriis & similibus, tã diu retinere, multò magis ad extimas partes corporis propellere potuerit. Tertiò quomodò factũ *Tertium dubium.* fuerit, quòd caput, & totũ cadauer, exceptã tibã dextrã post obitũ in monstruosã hãcce ma-

gnitudinem intumuerit: cùm animæ facultates, animali extincto, omnes abolitæ sint ac cessent.

Prolixè & ordine hancce historiã recensere placuit, propter varias & ineptas, quæ hac de re apud vulgus habentur opiniones.

Tu verò vir Amplissime, omnia boni consulte. Vale, & me, vt facis, ama. Paterniaci Auenticor. 9. Augusti 1607.

VIRO CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

DOMINO

GVILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo Reipub. Paterniacensis ordinario,

GREGORIVS HORSTIVS D. ET Medicus Profess. Acad. Giessensæ S. P. D.

DOleo, Vir clarissime & experientissime, amice & fautor plurimum honorande, responsum meum ad casum singularem de gærgræna quadam admiranda superiori anno conscriptum, & Francofurtum transmissum ad manus tuas nunquam peruenisse: talis est plærumque mercatorum incuria, qui dum lucro totis viribus inhiant, breui promissorum obliuiscuntur. Actum igitur vt agam, pro transmissa, mihi que inscripta Observatione gratias, quas animo concipere possum, habeo maximas, tibi que vicissim officia mea promptissimè lubens polliceor & offero. Quod

Quod autem casum illum attinet, vt expectationi tuæ satisfaciam, breuibus, si non verbis, tamen fundamentis cum priori responsione conuenientibus opinionem meam aperiam, eamque candido tuo iudicio subiiciam. Sed *Ad primam* ne longiori tuarum literarum repetitione tæ- *questionē* *responsio.* dium tibi satis alias occupato creem, ad quæstiones tuas mihi propositas rectâ progredior, inter quas priuus locus illi tribuitur, quâ quæris an Gangræna illa furiosa, tanquam dira & immanis, vt vix similis vquam conspecta, ex contusione sola vel ex causa aliqua interna & occulta orta fuerit? Negatiua tua displicere nequit, vbi perpendo rationes in medium adductas, ex ipsius Hygieiæ penetralibus depromptas, at experientia tua singulari confirmatas, præsertim cum tantum illam contusionem consideres, quæ fuit in crure, concedendo nihilominus, præter hanc aliam quoque totius corporis contusionem adfuisse, quatenus rota totam latus transgressa fuit, quod non solum tecum ex dolore circa scapulam colligo, sed insuper etiam vrina sanguinolenta per totum morbi tempus, ab initio statim ad finem vsque vitæ satis firmiter illud ipsum indicat, propterea quod hæc in eiusmodi corporis constitutione non aliunde quam ex contusione, non cruris sed aliarum partium deducenda videatur. At verò si tanta fuit contusio corporis reliqui, mirum non est, sanguinem circa partes abdominis externas alicubi concretum ac pu-

trefactum in pestiferum quasi venenum con-
 uersum fuisse, quod rectè colligis, ita vt nõ vi-
 deam, quid responsioni primæ quæstionis ad-
Ad alterã dendum censeam. Verum altera quæstio for-
quæstionẽ. tassis maiorem dilucidationem requirit, quo-
 modo videlicet natura pestiferam illam mate-
 riam sine conspicuis symptomatis, puta febre,
 syncope, deliriis & similibus tam diu retinere,
 multo magis ad extimas corporis partes pro-
 pellere potuerit? Coincidit hæc controuersia
 recentiorum, qua quæritur, num in corpore no-
 stro absque insigni humorum putredine vene-
 num generari queat, in qua affirmatiuam de-
 fendit HERCVLES SAXONIA lib. 2. de Phœ-
 nig. cap. 8. & sequentibus, propterea quod de
 essentia veneni non sit per putredinem fieri,
 potissimũ cum quotidiana experiẽtia testetur,
 sæpius pestiferos affectus absq; omni putredine
 disseminari, quod Galenus etiã innuere vide-
 tur, dum inquit: vt ab exiguo initio sputi vide-
 licet (canis rabidi) qualitate aucta quædam in
 corpore dispositio, quando ad magnitudinem
 notatu dignam peruenit, discerni potest, id-
 que post sex menses, cum nonnunquam ante
 id tempus nulla nota deprehendatur; sic eo-
 dem modo vitioso humore in animalis cor-
 pore genito, paulatim tractu temporis princi-
 palium partium aliqua consentit, à qua deinde
 vniuersum corpus celeriter alteratur. Contra
 præsentis quæstionis negatiuam acriter con-
 firmare nititur Columba lib. 1. de feb. pest.
 cap. 41. non solum autoritate Galeni, qui pas-
 sim venenatos, & malignos humores in cor-
 pore

pore nostro non aliter quam per summam corruptionem fieri posse statuit, sed etiam rationibus, quatenus ea, quæ secundum naturam sunt, ad qualitates immediatè substantiæ nostræ seu principio vitali contrarias absque insigni & vehementissima corruptione mutari nequeunt, non tam quâtitatem, quam modum putredinis respiciendo. Veruntamen cum Saxonia tantum contra simplicem putredinem disputet, Columba verò corruptionem quandam formalem insignem, à communi putredine diuersissimam intelligat, non inconueniens videtur vtramque sententiam conciliare, nimirum vt venenum in corpore nostro producat non ex simplici quadam putredine humorum, iuxta priorem, sed ex specifica quadam corruptione vehementissima, & malignissima, iuxta posteriorem opinionem. His præmissis respondendum, quomodo talis maligna corruptio sine conspicuis symptomatis, puta febre, syncope, deliriis & similibus produci potuerit, vbi solutionem nobis subministrat Hippocrates lib. 3. Epidemior. sect. 3. aphor. 25, vbi inquit: quorum caput horum quid tentaret, (loquitur de maligna putredine) his caput totum glabrescebat, & mentum, ossaque denudabantur decidebantque, multæque extiterunt fluxiones. His adiuncta aliquando, aliquando non erat febris. Erant autem hæc formidabiliora quam deteriora, quibus enim ad suppurationis species hæc deuenit, plurimi superstites horum erant. At verò quos inflammatio reliquit, & sacer ignis, nec talem abscessum ef-

ficit vllum, hi frequentes perierunt; & si vsquã loci alterius in corpore oberraret, euenerunt hæc. Etenim multis brachium vel totus cubitus decidit. Quibusdã hæc interiora latera efficiabant, vel posteriora. Nonnullis totum femur vel tibiã denudabantur pèsque totus. Galenus in Commentario quo d ad præsens institutũ pertinet vltèrius declarat, dicens; quibusdam quibus in superficie erat eiusmodi putredo, partes etiam citra febres marcescebant, &c. Hinc ergò constat in corpore nostro talem humoris peccantis corruptionem fieri posse, quæ veneno respondeat, partiũmque sphacelum introducat absque vaporibus putridis ad cor trãmissis, propterea quod venenum multò maioris sit actiuitatis, quam putredo, præsertim tũc temporis, vbi talis corruptio partibus à corde remotioribus, minũsque principalibus accidit. Quocirca patet, cur tantam malignitatem sanguis ex cõtusione circa femur & abdomen collectus absque insignibus symptomatis contraxerit; fuit enim in partibus à corde & aliis mēbris principalibus remotis, & ad faciliore corruptionem admodum dispositis, iuxta aphor. Hipp. 26. loco citato, vbi dicit, omnium grauissimam fuisse putrefactionem & corruptionem circa pubẽ & pudẽda, propterea quod illa loca, dicente Galeno in comm. leuissimè putrescãt & per consequens citius etiã corrũpantur. Adde quod alias, quo ad constitutionẽ naturalem, vitalis facultas in hoc ægro valida satis fuerit, quam ob causam cor, vitæ fons per consensum difficulter affici potuit, prioribus scilicet diebus,

us, vbi malignitas in partibus remotioribus
 corruptione humorum producta fuit. Vt e-
 nim naturæ præstantissimæ quibus τὸ θερμὸν ἔμ-
 ποτεy robustissimum inest, rarissimè, sed tãdem
 vbi accidit periculosè laborât, propterea quod
 virtus valida causis morbificis validè resistat,
 & nõ, nisi magna quadã violentia deprimatur,
 ita præsentis ægri natura symptomatis, vel ef-
 fectibus huius materiæ corruptæ tam diu resti-
 tit, donec tandem subito sine præcedentibus
 diurnis alterationibus opprimeretur. Porro,
 quod tertiam quæstionem attinet, qua quæri-
 tur Cur caput & totum cadaver, excepta tibia
 dextra in monstrosam magnitudinẽ post obi-
 tum intumuerit, non video quid aliud respon-
 deri possit, quam quod materia peccans, antea
 caloris natiui robustioris cõpedibus quasi ca-
 tenata, iam post mortem magis commota &
 exacerbata suæ malignitatis fructum hunc edi-
 derit, eãdem ratione qua videmus interdum in
 scorbuticis vt & peste laborantibus, post mor-
 tem tandem maculas variegatas efflorescere.
 Nec mirum quod tibia dextra fuerit à tali sym-
 ptomate immunis, præsertim cùm ipsa contu-
 sio tantum sinistram partem, quantum ex hi-
 storia colligitur affecerit. Hæc sunt vir expe-
 rientissime, quæ raptim ad tuas proximas lite-
 ras respondere volui. Vale & salue à tuo DO-
 RINGIO, qui in locum tertij Professoris Medi-
 ci hac septimana apud nos receptus est, de quo
 ex ipsius literis plura habebis. Dabam Giessæ
 Hassorum Cal. Feb. Anno 1609.

*Ad tertiam
 quæstionem.*



OBSERVATIO LXXXIV.

Iuuenis 15. annorum dormiens è lecto surgit, ambulat, ac tandem per fenestram ex cubiculo tertie contignationis domus altioris ad altitudinem 14. vlnarum decidit: sed iuuante diuina gratiâ pristinæ sanitati restituitur, & à grauius symptomatis liberatur.

Ad

Virum celeberrimum & Doctiss. Dn. GVILHELMVM FABRICIVM HILDANVM, Medicum & Cheirurgum peritissimum, & Reipub. Paterniacensis Auenticorum ordinarium.

cui

GREGOR. HORSTIVS Med. & Philosop. Doct. S. P. D.

VT par pari referam, Peritissime vir, fautor, & amice honorande, placet literis meis responsoriis præsentem casum subiicere, tum quod per se rarò talia accidant, tum etiam quod ex illo iucundæ quæstiones oriantur, quas breuiter enodatas tibi vltèrius perpendendas, & cum ratione atque experientia Medicâ coniungendas relinquo. Anno superiori
20.A.

a. Aprilis iuuenis quidam, consanguineus
 meus, in eadem domo V Vitebergę mecum vi-
 uens, vesperi quodammodo inebriatus ad le-
 ctum se confert, optimè dormit, vsque ad horã
 II. circa quam è lecto surgit, hinc & inde am-
 bulat, & dormiendo tandem celeriter ad fene-
 stram ascendit, eamque egreditur. Ego tunc in
 eodem cubiculo dormiēs insolito strepitu ex-
 citatus, quasi per somnium recolligo, iuuenem
 hunc in infantia sæpius ὕπνοβατῆν vel somnam-
 bulonem egisse, quam ob causam famulum
 meū nomine proprio appello, quærendo, num
 secum dormientē adhuc habeat iuuenē, qui ex-
 citatus negatiuè respondet: quapropter statim
 surgo, & fenestram accedo, vt fortè herentem
 ibidem retraham. Sed, proh dolor, eo ipso mo-
 mento in plateam lapidibus obductam ex cõ-
 tignatione domus tertia, ad altitudinē vlnarū
 14. decidit: tacet primū & immobilis instar
 mortui proiect⁹ in vno eodēmq; loco remanet,
 paulò post tamē, fortassis pluuiarū frigiditate,
 quæ tunc frequentes erant, refocillatus sonum
 edit inarticulatum instar animalis sub manib.
 lanij morientis. Descēdi, potius eã intentione,
 vt contractum hominem colligerem, ac sepul-
 turæ præpararem, quam vt curatione Medica
 vel Chirurgica eidem succurrerē. Sed quid fit?
 homine inuenio, quod ad mēbra externa omni
 ex parte illęsū, capite excepto, cui vulnus infli-
 ctum erat ad os vsque bregmatis sinistrū, sine
 ossis & periostij lęsione. Quib. obseruatis infe-
 rius hypocautū calefactum aperui, & aduocato
 tū verbi Ministro, tū etiã Chirurgo proximo,

cōsternatione quodāmodo remotā, non penitus media adæquata intermittenda esse duxi. Statim ergo cū suffocationem imminentem viderem, pulvere nescio quo, ingrato, qui ad manus erat, vomitum prouocaui, vt ventriculus ab onere suo liberaretur, vtpote quod de præcedenti potione vespertinā supererat in iuvene Bacchi festiuitatibus minime assuero: huic enim imminentem suffocationem oriri signis non contemnendis colligebam. Quo facto loqui cœpit & de dolorib. ingētibus vatriarum partium conquestus est, quod spem quandam restitutionis mihi afferebat, quia mentem nondum affectam videbam: qui enim dolores grauissimos sentiunt, iis mens nondum laborat. Quare de adæquatis aliis conuenientibus remediis cogitare cœpi, quam ob causam venæ sectionem suasi, & aliquot horis post clysterem acrem reuellentem iniicendum esse putavi. Ne autem tanta remedia in tam graui casu solus exhiberem, statim D. N. D. TOBIAM TANDLERVM & affinitate & singulari amicitia mihi coniunctissimum, aduocare iussi, cui aduenienti casum proposui, qui auditis indicationibus mecum consensit. Quare statim venam mediam sinistri brachij incidimus, & vncias tres sanguinis ex traximus, tum vt motum sanguinis ad viscera principalia corrigeremus, tum etiam, vt dolorem circa iecoris regionem vehementem leniremus. Post venę sectionem bene quieuit, & eminens suffocatio vnā cum dolore dextri hypochondrij remisit. Tribus horis à venę sectione

Vena sectione post casum primum obtinuit lenem.

te circa matutinum tempus, Enema exhibui,
quod recipiebat

Enema.

maluæ,

bismaluę

mercurialis,

violarum an. M. s.

betonicæ

tussilaginis an. M. j.

florum chamomillæ M. j. s.

Fiat decoctio ad ℥ x. In colatura dissolue

elect. hieræ symp.

diaphœnici an. ℥ ij. s.

de succo rosarum ℥ j. s.

ol. chamomillę

violarum, anethi an. ℥ vj.

salis parum. fiat Enema. Hoc usurpato

sexies aluum deposuit, & maximam sensit al-
leviationem. Hic tandem ex me & adstan-
tibus quæsiuit, vnde eidem tanta contigerit
imbecillitas (non semel enim animi deliquium
patiebatur) ignarus omnino sui lapsus pericu-
losissimi: cui, ne forte propter imaginationem
periculi grauius quid accideret, respondimus
omnes vnanimiter, eundem tantum ex lecto
forte fortuna deuolutum esse, quod etiam cre-
didit, sibi que persuasit, se fortassis antea per a-
liquot septimanas imbecillitatis huius causas
gestauisse, quæ iam ab hac causa *προχρηταρτικῆ*
ad actum traductæ sint. Hisce remediis primo
die contentus fui, nisi quod exterius vulnus ca-
pitis more solito deligatum fuerit, digestiuo
imposito, totóque capite oleo rosaceo inun-
cto. Sequenti die 22. Aprilis, vt & nocte

Y ij

præcedenti de siti & anxietate conquerebatur,
 ita ut febris vna coniuncta videretur, quod e-
 tiam vrina testabatur, quæ rubicunda, sed ob
 sanguinis conturbationem partiumque debi-
 litatem crassa apparebat. Ad duo igitur respi-
 ciendum esse videbatur, tum ad sanguinem in
 corpore præter naturam collectum, vnde an-
 xietates, pectorisque punctiones ac dolores
 grauatiui, tum etiam ad febrim. Quo ad sangui-
 nem collectum dissoluendum & expectoran-
 dum, exterius adhibui decoctum lactis cum
 meliloto, flor. chamom. an. M. iij. Marubij an-
 thi, an. M. ij. quod comprehensum aliquot ve-
 sicis bubulis per vices calidum epithematis loco
 partibus dolentibus applicare iussi: interius pri-
 mo, diebus aliquot matutino tempore pingue-
 dinem humanam (quæ tum temporis à recenti
 corporis humani sectione copiosam in prom-
 ptu habui) in iusculo ceruisiæ ℥ss. exhibendam
 dedi, quo remedio dolores & punctiones inter-
 næ leniebantur, & sanguis concretus ad exitum
 præparabatur, ita ut consequenter per tussim &
 scretum concreti sanguinis frustra copiosè sa-
 tis, & cum facilitate, reiicerentur. Quo ad febrim,
 aluum lenientibus medicamentis apertum retinui,
 & præterea medicamina, & alimèta cõueniètia
 contraria præscripsi. Pro potu igitur concessi
 Aq. hord. ℥ss. j. s. cum syrupo violarum, acetos.
 citri, de liquir. an. ℥j. conf. rosarum ℥i. Misce, &
 fiat Iulapium, ut febrilem calorem corrigerem
 & pectus quoq; lenirem: exterius cum aceto
 vini, & aqua rosacea spiritus frequenter recreare
 conatus sum, ne natura in tam graui affectu
 for-

forte succūberet, quo sine citrum cum saccharo
preparatum sepius etiam exhibui. Quamuis au-
tem febrilia symptomata remitterent, nihilo-
minus 24. Aprilis sopor quidam præter naturā,
& vigilādi quædam impotentia successit, quod
postquam vidi, statim eò allaborādum esse du-
xi, vt quoad fieri posset, materia à capite reuel-
leretur, & somnus præter naturam impedire-
tur, quam ob causam primo præscripsi clyste-
rem qui

℞ violarum,
chamomill.
lactuc.an.M.ʒ.
saluie,
betonicę an.M.ʒ.
centaur.minor.M.ij.
parietarię M.ʒ.
sem.lini ʒj.ʒ.

Enema.

Coquantur in s. q. aquæ ad ʒ x. post colen-
tur ʒ x. adde Cass.extract. pro clyster. ʒ. s. mas-
se pilularum aurear. ʒ. s. ol. anethi, violarum
an. ʒj. salis ʒj. Misce, & fiat Enema, quo iniecto
aliquoties aluum deiecit: sed operatione me-
dicamenti absoluta, sopor ille rediit, quapro-
pter frictions inferiorum partium, & ligatu-
ras pedum instituo, quibus continuatis per no-
ctem subsequenter à periculoso hoc sympto-
mate iuuenem hunc D E I gratiâ liberaui:
quid enim ex eiusmodi sopore fuisset ex-
pectandum quilibet facillimè colligit. Inte-
rim dum hæc peragebantur circa sinistrum
humerum, ibidémque circa articulationem
brachij cum scapula, vt etiam circa spurias

Y iij

costas & fœmoris superiorem partem eiusdem lateris contusionem quandam factam fuisse, deprehendo, tum ex tumore dictorum locorum præternat. tum etiam ex dolore partiumque impotentia. Etsi verò quasdam inunctiones hîc suaderet Chirurgus, qui vulnus capitatis tractabat, mihi tamen conuenientius videbatur emplastrum vel potius cataplasma ex siccantibus, & absumentibus, ac tendones ac neruosas partes confortantibus adhibere, quod Germani nostri *Dorbandt* vocant, ex farina fabarum, Molend. bolo armeno symphito maiori, & similibus, quo continuato partes dictæ confortatæ fuerunt, ita vt aliis remediis opus non esset: quemadmodum eodem remedio in dextra manu contusa quodammodo respectu pollicis commodè quoque utebamur. Post octiduum febris curata symptomatisque grauibus correctis, suspicio erat adhuc de sanguine concreto, quam ob causam aliquoties puluerem ex iis qui sanguinis grumos dissoluent, vt sunt oculi cancri, pp. radic. rub. tinctor. sper. ceti & similia exhibui, & sudorem prouocaui, simul eo respiciendo, vt conuenienti diætâ vires, admodum collapsæ, reficerentur. Qua ratione præter spem multorum intra 14. dies iuuenis hic perfectè conualuit, DEI singulari prouidentia cui laus & honor in æternum.

Ex hoc casu singulari sua sponte pullulant problemata quædam notatu digna, que tuo iudicio, Vir clarissime, subiicio: quid mihi videatur breuiter subscribam, prout illud

studium pennæ succurrit, dum hic Lipsiæ (ab-
sens à mea Bibliothecula) operam medicam e-
grotanti cuidam fœminæ primariæ præstando
tanquam hospes viuo.

Ergo primo quæritur, *Cur iuuenis hic citius
inebriatus ὕπνοβαρην vel somnambulonem ege-
rit, quam alio tempore, quod multis accidit?*
An quia spirituum perturbatio propter pra-
uas exhalationes ascendentes facultatem diiu-
dicandi fefellit, ita vt phantasia bono quodam
apparente commota, neglectis aliis circum-
stantiis citius partes motui destinatas ad mo-
tum incitarit adiuuante spirituum agilitate
per copiam exhalationum introducta? Vt e-
nim ebrij vigilantes adhuc sæpius contra ratio-
nis præscriptum ea peragunt, quæ phantasia
imperat, quæ tamen sobrij non aggredierentur:
ita multo magis iisdem dormiētibus hoc acci-
dere posse verisimile est, tum quod per som-
num cerebrum magis repleatur, & spiritus ma-
gis conturbentur, tum etiam quod intelligēdi
facultas, vtraque diiudicandi potestas tunc tē-
poris magis quiescat. Hinc etiam tot actiones
per somnia nobis recurrere videntur, præser-
tim bene potis, nisi omnino cerebrum copia
vaporum quasi sepultum sit.

Secundo quæritur *Cur tanta celeritate & fa-
cilitate iuuenis hic dormiendo ambulans fene-
stram altiore[m] ascenderit?* An quia somnambu-
lones omnia intrepidè audent & loca peri-
culosa sæpius ascendunt, propterea quod vis
discernendi vaporum caliginē sopita quasi
iaceat, vnde incogitantia præbet audaciam,

quam spirituum constantia adiuuat? nam quemadmodum phrenetici in suis actionibus sunt vehementissimi (quicquid enim apprehendunt firmiter sibi retinēt, propterea quod operatione intellectiva destituti, sola utuntur phantasia, quæ hoc unicum peragendum esse cēset, unde maxima spirituum copia ad partes apprehensionis inferuientes à phantasia mittitur) sic etiam somnambulones frequenter obstinatum quiescentem periculosa loca ascendunt, periculi magnitudinem non perpendentes, idque præstant firmiter, quia phantasia huic unicæ operationi tantū intenta est. Hinc etiam fit, ut nomine proprio vocati, cadant, ut pote quod ipsis admodum familiare phantasia alio reuocet, unde consequenter à somno excitantur & excitati magnitudinem periculi cognoscentes formidare incipiunt ac dissipatis spiritibus atque alio reuocatis, facultatibus debilitatis cadunt & periclitantur.

Tertio queritur *Cur dormiendo delapsus iuuenis minus fuerit laesus?* An quia periculum tantum non fuit animaduersum? etsi enim iacula præuisa minus nocent, non tamen illud ipsum hîc procedit, quia vigilantibus ita decidentibus ex consternatione & timore vehemētissimo spiritus omnes intro ad suum principium recurrunt, unde partes externæ magis debilitantur, & citius impressiones alienas præter naturam sentiunt: talis autem consternatio & timor non adfuit dormienti. Quod si dicerem, resistendi conatum nō fuisse in dor-

in dormiente, quam ob causam decidēs primo pedibus terram attigit (quod læsio plantarum superficialis testabatur) consequenter autem reliquis articulis non intensis & resistentibus, sed laxatis, statim in sinistram latus decubuit. Quod si vigilans fuisset intensis articulationibus eo fine, ut violentiæ resisteret, vehementior fuisset impressio: prout enim resistentia maior est, ita etiam actio redditur vehementior.

Quartò, quæritur, *si à vehemēti imaginatione per somnium fit vυχόβασις, Cur actorum hic somnambulo fuerit oblitus?* An quia diuersæ sunt operationes phantasiæ & memoriæ, ut citius fiat specierum compositio à phantasia, quam earundem tali vel tali modo compositarum à memoria conseruatio? imo cum tota anima non admodum sit intenta his actionibus, obliuiscuntur plærumque eorum quæ acta sunt, quemadmodum vigilantes interdum obliuiscimur earum actionum, quos sine insigni intentione peragimus. Etsi vero præsens iuuenis suæ actionis nullam haberet recordationem primis diebus, restitutus tamen confitebatur, se ea nocte (in qua casus accidebat) somnium habuisse, quod ad arbitrium omnia præpararit, & currum celeriter ascenderit, ubi phantasia fefellit dormientem, ut ad fenestram ascendendo currum se ascendere putarit. Hæserunt enim species illæ firmiter in imaginatione, quia in mandatis eidem datum erat, ut summo mane surgeret, & necessaria ad iter præpararet.

Quintò, quæritur, *Vnde post lapsum impotētia*

vigilandi & per consequens lethargus inceperit?
 An à pituitosis humoribus in cerebri regione putrescentibus per contusionem ibidem forte collectis, quod sanguis primis diebus ex aure sinistra profluens testabatur? Hinc igitur cerebri imbecillitas, vnde pituitosæ exhalationes, principium nervorum continuò affecerunt, ita vt facultates ad sensum ineptæ redditæ fuerint.

Sextò quæritur, *Quomodo dictus ager à tot grauibus complicatis affectibus, feбри scilicet, item sopore p. n. lipothymis frequentibus, summaque totius corporis imbecillitate tam citò vires recuperare potuerit?* An quia hæc symptomata omnia, non ex causis morbificis longa serie propter partium imbecillitatem & concoctionum deprauationem, quod frequenter accidit, generabantur, sed subito propter lapsum insperatò accidentem? Ergo cum vires & respectu iuuenilis ætatis fortiores, nec præcedētibus morbosis dispositionibus absumptæ essent, fieri potuit, vt citò sanitas pristina recolligeretur.

Septimò quæritur, *Cur in articulorum contusionibus & luxationibus potius cataplasmata quam inunctiones approbauerimus, præsertim in principio?* An quia inunctiones faciunt ad pororum obturationem, nec eam exiccandi potentiam habent, quam alia medicamina, quæ siccando & discutiendo, id quod influxum est absumunt, quod verò affluit impediūt &c. Hæc sunt quæ raptim tuæ Dign. de præsentī casu referre volui: boni consule, & me, quod facis ama. Dabam Lipsiæ τὰ χίσιον Calēd. Maij 1608.

OBSER-



OBSERVATIO LXXXV.

De Somnambulonibus, & nonnullis aliis,
qui ab alto deciderunt, absque
magna læsione.

Ad

Clarissimum atque doctissimum virum D. DO-
CTOREM GREGORIVM HORSTIVM, Philo-
sophum summum, & in Illustri Academia
Giessena Hassor. Medicina Professo-
rem longè celeberrimum, ami-
cum singularem.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

Responsum tuum doctissimum ad Obser-
vationem meam de Gangræna, tibi in-
scriptam, Vir vndiquaque clarissime, & amice
plurimum honorande, accepi. Placuit omni-
nò, illudque Observationi annexi. Accepi quo-
que Observationem tuam, de Somnabulone,
(elegantè sic à te, non autem vt ab aliis No-
ctambulone vocato) raram profectò, & anno-
tatione dignam. Quòd T. Excell. ipsam mi-
hi inscribere dignata sit, ex eo summa sua
in me humanitas & benevolentia elucescit.
Faxit D. O. M. vt aliquando officiis,

beneficiis que respondere possim. Problemata & nodos, quos ex præscripto casu proponis, tuipsemet tam doctè, & perspicuè soluis, ut mihi opus nō sit, noctuas Athenas ferre. Ne tamen omninō nudam ad te mittam Epistolam, addam exemplum vnum aut alterum de somnambulonibus, & iis, qui ab alto, absque læsione insigni ceciderunt, conualueruntque.

EXEMPLVM I.

Quidam in agro Neocomensi ad Fontē Andree, Pierre Galantier nomine, vir probus, robustus, & optimo corporis habitu præditus, & quadragesimum annum ætatis agens, cum anno 1605. Neopolin ad lacum Neodunensem, amicos inuisendi, & nuptias celebrandi causa profectus esset, & quadam die in conuiuio præter voluntatem ad computationes compelleretururgereturque, effugit, & se in cubiculū quoddam secundæ contignationis domus, quò computationes superfluas effugere posset, abscondidit. Circā mediā noctem, quū graui ac profundo somno correptus esset, ac se ex conuiuio effugere, & viridariū ingredi velle, somniaret, è lecto surgens, fenestram ascendit, indeque in terram cadit. Mox à somno expergefactus, eiulat, & clamoribus suis domesticos excitat: qui accurrentes, ipsum semimortuum in hypocaustum transferunt. Vocato eius loci Chirurgo, nulla deprehensa fuit læsio, præter quam quòd cutis circā talos ad murum ex parte abrasa fuerat. Talis itaque emplastris applicatis, inunctis item lumbis, & venâ in cubito secta, intrâ paucos dies sanitati

ti restitutus fuit, & ad hunc vsque diem sanus & incolumis viuit. Non enim adeò pridem, quàm in agrum Neocomensem ad nobilem virum D. ISAIAM HORRICÆVM vocatus essem, prædictum Petrum Galantier ipsemet vidi, & illa, quæ acciderant, ab ipso, præfente nobili viro, excepi, atque annotaui. Ab eo tamen tempore, nunquàm simile quid sibi accidisse, affirmavit.

EXEMPLVM II.

Idem nobilis vir HORRICÆVS mihi retulit, se ante annos 20. in ditione Episcopatus Basileësis, paganam somnambulorem cognouisse, illamque noctu surrexisse, & dormiendo rem familiarem administrasse, imò & aliquando in campos ad operarios exspatiatam fuisse. Idque se suis vidisse oculis, mihi affirmavit.

EXEMPLVM III.

Lustrici propè Losannam ad lacum Lemannum, cuius quidam 28. annor. ætatis, à iuuentute somnambulonem egit. Qui cum puer adhuc esset, frequenter noctu dormiendo è lecto surgebat, & per ædes & plateas obambulabat, vociferabatur, ac distinctè loquebatur. Id quod à multis visum & obseruatum est. Qui huiusmodi adhuc perageret, nisi vxor eius illum coërceret, noctuque retineret. Hic tamen mentis nunquam vsque adeò compos fuit.

EXEMPLVM IV.

Ante annos 24. cum apud præstantissimum

COSMAM SLOTANVM Praxin Cheirurgicam exercerem, vocati fuimus ad puellum, trium circiter annorū ætatis, qui ex suprema domus altioris contignatione, in pavementum lapideū decidens, cerebrum eius aliquo modo commotum concussūque fuerat, vndè statim vomitus cibi indigesti subsequutus. Slotanus accersitus, abrais crinibus totum caput ad tertium vsque diem oleo rosac. inunxit, pulverem rosar. & myrtillor. inspersit, & Enemata exhibuit. Tandem etiam capite per dies aliquot inuncto oleo suo ex floribus, æger conualuit.


EXEMPLVM V.

Eodem anno, vir quidam pius, & magni nominis Medicus, nec non amicus meus singularis, diuinitus seruatus fuit. Cùm enim obscurâ tenebricosissimâque nocte, montem quendâ, in quo fodinæ carbonum fossilium erant plurimæ, eques transiret, ac parum à via recta deflecteret, vnâ cum equo suo in fodinam, viginti cubitos (si rectè memini) altam decidit. Sed quia fodina illa adeò angusta fuerat, vt homo solus tantùm descendere posset, equus in medio tantummodò fixus & hærens, remansit. Famulus, quum Dominum suum viuentem adhuc intellexisset, protinùs iterùm equū suum conscendit, & summâ qua potuit festinatione rusticos è proximo pago accersit, qui secùm restibus omnibûsque necessariis allatis, virum istam planè illesum è fodina extraxerunt, Equo tamen mortuo.

Superiori anno Observationē de ligamenti
lingua

sub lingua periculosa sectione ad te misian ve-
rò ad te peruenerit, ignoro: responsū enim nul-
lum accepi. Puer ille nondūm penitus conua-
luit, incipit tamen paulatim obambulare, & vo-
cabula nonnulla proferre.

His vale vir Amplissime, & diū fœliciter
vive. Paterniaci Auenticor. 14. Iulij 1609.



OBSERVATIO LXXXVI.

De Gangræna grauiſſima ex morſu Equi
progenita.

Ad

*Clariffimum atque Doctiffimum virum DN. AN-
DREAM TOXOTIVM Medicina Doctorem
longè excellentiffimum, amicum ſin-
gularem.*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

ANte triduum Clariffime atque amantif-
ſime Dn. D. TOXOTI, Soloduro redij,
vbi poſt tuum à nobis abitum circa nobilem
virum DN. IACOBVM VVALLIER conti-
nuò occupatus fui. Curatio, diuinâ fauente
gratiâ, ex voto ſuccedit, vti proculdubio ex
Clariffimo viro DN. D. SARAZENO, medico
celeberrimo (qui Baſileâ rediens in tranſitu
Soloduri, ipſum inuiſit) intellexiſti. Pro
congiario aureo, à generoſis tuis mihi miſſo,

ipsis, simul & T. Exc. nunc verbis gratias, quas possum, ago maximas. Quod si Deus Opt. Maxim. cœptis nostris posthac faueat, re ipsa erga illos gratum animum meum declarandi occasionem aliquam mihi non defuturam spero.

Observatio de Scirrhus in fundo ventriculi, & colo intestino

Vetula illa, quam aliquoties hîc mecum inuisisti, paulò post tuum discessum, planè extenuata, in Christo obdormiuit. Cadauer, me absente, à domesticis meis apertum, inuentum est hepar omnino putridum, adeoque fœtidum, vt nullus fœtorem sufferre potuerit. Durities quam ipsemet non raro mecum in hypochondrio dextro palpasti, scirrhus erat, qui intestino colo, & fundo ventriculi tenacissime adhærebat. Hinc vomitus continuus & egerendi difficultas. Reliquæ partes propter fœtorem maximum, perlustrari minime potuerunt.

Observatio de morsu equi.

Cæterum casum de gangræna, ex morsu equi, cuius in via Mildunum versus, mentionem fecimus, nunc T. Exc. penitus adumbrare statui, dum tamen de venenositate vulnerum, à feris inflictorum, prius verbum vnum aut alterum præfatus fuero. Percrebuit apud vulgus cheirurgorum opinio, morsus equorum, canum, vrsorum, leonum ac similibus beluarum maximum, ac exitiosum in se continere venenum. Huius opinionis in causa, sunt symptomata grauissima, quæ huiusmodi vulnera sequuntur, & præcipuè quod sæpissimè in gangrænam terminantur. Cheirurgum non mediocriter in operibus artis cheirurgicæ versatum, familiariter noui, qui hac imbutus opinione, omnes morsus

morsus animalium, etiam non venenatorum,
 aut ferro candenti, aut oleo feruenti protinus
 inurebat, atque hac occasione plerunque sibi
 nomen crudelis Cheirurgi parabat. Ego etsi
 huiusmodi vulnera, non nihil malignitatis in
 se continere profitear, quemadmodum postea
 dicam, attamen quomodo eorum opinio, qui
 ipsa absolutè venenosa esse sentiunt, fulciri pos-
 sit, nondum video. Si enim morsus horum ani-
 malium, per se, & absolutè venenosi essent, tunc
 profectò, paruum quandoque vulnus, ab ipsis
 inflictum, non minus ac magnum, malignæ
 qualitatis particeps esset, quemadmodum vi-
 demus, in morfu canis rabidi, vbi minimum
 quidem vulnus, si neglectum fuerit, mortem
 inferre potens est. Contrarium in prædicto-
 rum animalium, (nisi rabie infecta fuerint)
 moribus obseruatur. Ingentia enim ac ma-
 gna ab ipsis inflictæ vulnera, in primis vbi ossa
 simul sunt fracta, periculosa exitiosaque esse,
 nec non aliquando in gangrænâ terminari,
 experientia fidem facit: præcipuè si fracturæ
 arctè nimis ligatæ, aut error aliquis in cura-
 tione commissus fuerit. Vnde igitur, inquires,
 pessima illa symptomata? Profectò ego
 planè sentio, ipsa magis ex contusione quàm
 ex venenosa aliqua qualitate horum anima-
 lium accidere. Cùm enim sint robustissima,
 vi sua contundunt, & conterunt musculos, ve-
 nas, arterias, imo & ossa ipsa. Hinc dolor,
 hinc inflammatio, humorum affluxus, tandém-
 que spirituum suffocatio & gangræna. Cuius
 rei exemplum memorabile mihi videre conti-

git: quod tibi viro doctissimo, & cheirurgicarum operationum avidissimo, prout promissam, communicare non grauabor.

Anno 1576. quum Nouisæ Cheirurgiæ operam darem, ciuis quidam in oppido Zoons ad Rhenum, ab equo in brachio grauitèr morfu vulneratus fuit, cum carnis dilaceratione, & ossis fractione. Aduocatus barbitonsor, ossa fracta in sedem naturalem reposuit: vulnèri digestiuum, fracturæ verò medicamentum ex bolo armeno, farina, & albuminibus ouorum confectum, applicuit. Fascias item ferulâsque apposuit, & fenestellam, quo vulnus quotidie absque fasciarum solutione curari posset, reliquit. Sed quia fascias ferulâsque nimis arctè constrinxerat, auctus est dolor, auctus est & affluxus humorum. Et quia corpus neque à prauis humoribus, neque ab abundantia sanguinis exoneratum fuerat, sequuta est inflammatio, tandèmq; gangræna. Magister Ioh. DVMGENS apud Nouisienses Cheirurgus exercitatus, præceptor meus plurimum honorandus, in consilium adhibitus, brachium scarificauit, vnguentum Ægyptiacum, reliquaque medicamenta, quæ ad curationem gangræne requiruntur, applicuit; ita vt gangræna remiserit, tandèmq; brachium sanitati restitutum fuerit: sed curatio fuit, & longa & laboriosa, non quod qualitas aliqua admodum maligna, animaduertetur, sed quia os fractum fuerat, & gangræna superuenerat.

Observatio alia
de morfu
Vrsi.

Ante paucos annos mulier quædam Bernæ cum vrsis, qui continuò ibi in propriis fossis asser-

seruantur, escam obtulisset, ac vrsus ipsius manum, ni fallor dextram, per cancellos arripisset, adeo manum & brachium momordit, vt illud abscindere necesse esset. Non quod medici venenosam aliquam qualitatem in morfu isto agnoscerent: sed quia caro simul & ossa penitus contusa, contritâque fuerant.

Cæterum, etsi in morfu animalium prædictorum & per se non venenatorum, illam quam vulgus Cheirurgorum ipsis adscribit venositatem, vt antea quoque dixi, non inueniam: non negarem tamen ab ipsis inflictâ vulnera ab alijs, ense aut cultro incisâ, non nihil differre, imo etiam non nihil in se continere posse malignitatis, atque proinde peculiarem curandi methodum requirere. Itaque vt omnia rectè, & vt artis est administrantur, morfus beluarum, siue equorum, siue vrsorum, canum, leonum, aprorum, (vt & de hominis morfu Obser. 84. Cent. I. scripsimus) sic distinguo. Aut enim animal rabiosum est, aut solummodo commotum, & simpliciter iratum, cum morfu violat: (Donec enim mansuetum, & minimè ira percitum, neminem mordebit, vt quidam morsum canis distinguit.) Vnde affectus quilibet, peculiarem requirit curandi methodum. Si enim animal rabiosum fuerit, vulnus, siue id exiguum, siue magnum extiterit, scarificare, & cauterio actuali inurere expedit, reliquaque remedia quæ Observatione 87. Cent. I. & Obseruat. 98. huius Centuriæ recensentur applicanda erunt. In morfu verò ab ani-

mali non rabioso facto, inustione opus non est, ea tamen remedia quæ ab alto ad superficiem trahunt, vsurpanda sunt, idque in eum finem, vt si quid maligni subesset, paulatim educeretur. Primo itaque vulnus aceto, in quo theriaca dissoluta est, abluo: postea, si vulnus paruum fuerit, spiritum vini, cum theriaca, filamentis impono, & emplastrum Basiliconis applico; Aut

Vnguentum.

℞ pulueris radic. angelicæ

aristoloch. rotundæ,

vincetoxici,

caryophyllatæ an. ʒj.

folior. scordij,

rutæ an. ʒ. j. s.

theriacæ

extract. card. benedicti an. ʒij.

Cum s. q. mellis rosacei fiat mixtura, in forma vnguenti, quod filamentis imponatur. Vnguentum hoc in omnibus vulneribus, ac vlceribus malignis & venenosis, anthrace, & similibus, præstantissimum est. Sin vulnus magnum, & contusio ingens fuerit, vt quamprimum digeratur, affluxus humorum euitetur, necesse est; alioquin inflammatio, dolor ingens, aliæque pessima symptomata verenda erunt. Statim itaque victus tenuis instituendus, corpus à prauis humoribus euacuandum, & vena, si nihil est quod obstat, tundenda erit. Membrum verò malè affectum oleo myrtino, & rosaceo inungere conuenit. Defensiuum quoque, vt affluxus humorum impediatur, applic.

applicandum. Vulneri verò sequēs digestiūm
imponendum.

Digestiūm.

℞ cere nouæ,
colophonix,
gummi elemi an. ℥ss.
therebint. lotæ in aqua cardui ben. ℥j.
olei rosacei,
amygdalar. dulcium,
de vitellis ouorum an. ℥j.

Liquefiant lento igne & percolentur, deinde
admisce croci ℥j.

theriacæ,
extract. cardui bened. an. ℥iij.
vitellos ouorum No. ij.

Misce, fiat vnguentum.

Vulnere hoc modo satis digesto, imponatur
antea descriptum vnguentum ex puluere radi-
cum Angelicæ, aristolochiæ rotundæ &c. tan-
demque emplastro diapalmeo, aut de cerussa,
vel simili aliquo medicamento inducatur
cicatrix. Si dolor superuenerit nimius, applice-
tur cataplasma aliquod anodynum, ex tractatu
nostro de gangræna, vel de combustionibus,
excerptum. Si fractura adfuerit, clementer &
absque violentia reponantur ossa, diligentér-
que in sede naturali retineantur, absque ferula-
rum tamen nimis arcta ligatione, ne fiat humo-
rum attractio, calorisque & spirituum suffoca-
tio, quæadmodum in viro illo cuius antea me-
mini accidit. Pura astringentia, vti etiã empla-
stica hic, propter insignem contusionem non
conueniunt: sed quæ simul digerunt. Inuncto
itaque toto membro oleo rosaceo, & myrtino,

Z iij

sequens applicetur cataplasma.

℞ farine hordei ℥ij.

pulu. rosarum rubear.

myrtillorum,

scenigræci an ℥ss.

pulu. scordij

foliorum rutæ an. zij.

Coquantur cum vino rubro, ad formam cataplasmatum: tum admisce

croci puluerisati ℥j.

ol. rosacei

myrtillorum an. ℥j.

de vitellis ouorum ℥ss.

vitellos ouorum No. ij.


applicetur tepidè singulis diebus semel, præcipuè si contusio magna fuerit, idque usque ad decimum, aut decimum quartum diem, donec vulnus optimè digestum sit, & grauiora symptomata non amplius sint timenda. Tum in fasciis & linteaminibus, quæ fracturæ circumponuntur, fenestella, ut vocant, per quam vulnus singulis diebus mundetur, relinquatur, fractura verò quarto, aut etiam sexto quouis die tantummodo deliganda erit.

Hæc sunt, Vir clarissime, quæ festinanti calamo hac de re T. Exc. scribere potui: quam, ut omnia, in bonam partem interpretari, & sententiam suam rescribere velit, rogo.

Filiolæ meæ, quæ iam tertium mensem ætatis appropinquat, hisce diebus, cum grauius laborasset, tandem ruptus est vmbilicus, ex quo etiam nunc multum ichoris extillat, qui

Observatio de ruptione vmbilici.

qui ex hepate per venam vmbilicalem pro-
uenire videtur: Interiora verò iam optime
se habent, & pristinam valetudinem paula-
tim recuperat: Integram historiam aliàs fusius
videbis. Hisce vale clarissime atque amantissi-
me DN. D. TOXOTI, & feliciter viue diu. Salu-
tant te cum tuis generosis amici omnes, in pri-
mis Reuerendus DN. Merula, DN. Occonoinus,
DN. Consul & domestici mei omnes. Pater-
niaci Auenticorum 8. Nouembris 1609.




OBSERVATIO LXXXVII.

*De Gangrana ex frigore ac con-
gelatione.*

ANno 1600. peregrinus Britannus Romã
rediens, & in monte S. Bernardi à via re-
cta deflectens, ac inter niues pernoctans, tan-
tum frigus passus fuit, vt extremitates o-
mnium digitorum dextræ manus, extincto in
istis calore natiuo, gangrænã correptæ sint.
Exorto statim dolore vehementissimo, vi-
riúmque prostratione, maxima nonnisi cum
difficultate Sedunum Vallesiorum peruenit,
eiusque loci Chirurgum quendam diligentem
satis, in consilium adhibuit. Is videns gangræ-
nam iam in sphacelum degeneratam, apicésq;
digitorum planè emortuos esse, Carnem digi-
torum circum circa ossa, prope carpum inci-
dit, nec non ad proximum articulum vs-
que separauit: digitos quinetiam in ipsis ar-

Z iiij

ticulis nouaculâ abscidit. Idque tali artificio & dexteritate perfecit, vt postea gangræna ulterius, & partes sanas inuadere non potuerit. Sed quia ferrâ ad huiusmodi operationes aptâ, bonus iste vir, minime instructus, forcipe verò aut scalpro (vt plerique chirurgorû facere consuevere) ossa abrumperem rem nefariam, ac artifice indignam esse censuit, miserû huncce peregrinû Lausannam ad me misit: vbi præsentem viro clarissimo ac doctissimo Dn. ALBERTO ROSCIO, eius Reip. Doctore Medico ordinario, atque celeberrimo, Reuerendo item viro Dn. IOHAN. RHETERIO ibidẽ linguæ sanctę professore dignissimo, multisque aliis ossa omniû digitorû dextræ manus ad carpum ferrâ abscidi: quo facto breui cõualuit, & in patriam rediit.



OBSERVATIO LXXXVIII.

Gangræna ex intemperie frigida & sicca cum defectu alimenti curata.

*de sympe.
caus. lib. 2.*

CVm Senectus (Galeno teste) intemperies quædã sit, ad frigiditatem & siccitatẽ declinans, mirum nemini videri debet, morbos ex hac intemperie ortos, in senibus vix curari posse: Deficit enim in iis calor natiuus, qui omnia viuificat, cõcoquit & instaurat, deficit & humidũ radicale, quod omnes partes corporis humectat, atque calori natiuo pabulum subministrat. Econtrâ abundat hæc ætas humo-
ribus

ribus excrementiis, quorum illuue sæpenu-
mero calidum innatum paulatim suffocatur,
aut ad minimum debilitatur: indè diminuuntur
vires, ita vt morbis minime resistere possint.
Hinc fit, vt Gangræna ex intemperie frigida &
sicca omnium sit periculosissima, præcipuè au-
tem in senibus, & quibus partes principes malè
afficiuntur. Incipitque hæc species gangræne
circà extremitates, quùm partes illæ prius nu-
trimento destituantur. Non immeritò itaque
Beniuenius scriptum reliquit, Gangrænam à
digito pedis (id quod de hac specie gangræne
intelligendum) incipientem, mortalem esse.
Ego, (vt ingenuè fatear) inter omnes quotquot
hactenùs Gangrænâ ex intemperie frigida &
sicca, vel alimenti penuriâ laborantes vidi, v-
nus tantùm modò euasit. Quam historiam hîc
in gratiam iuniorum Chirurgorum subiunge-
re placuit, vt semper in morbis, quantumuis
desperatis, de sanitate benè sperent, atque ad eâ
recuperandam, summam diligentiam ad-
hibeant.

Anno 1582. die 20. Augusti, cum essemus *Historia.*
apud Illustrissimum Principem Cliuiacen-
sium, Iuliacensium, & Montensium &c. in arce
Bensburgensi, Presbyter quidam homo septua-
genarius & decrepitus, Gangrænâ ex intem-
perie frigida & sicca, vel, (vt rectius dicam)
defectu caloris natiui & alimenti, in dextra ti-
bia correptus fuit, sine causa aliqua externa.
Nullus in principio morbi dolor aderat, nul-
lùmque inflammationis indicium, sed potius
frigus in crure persètiebatur. Vndè statim ad se

accersit Clarissimū D. D. GALENUM VVIER-
 RVM Archiatrum Principis, ac COSMAM SLO-
 TANVM eiusdem Principis Chirurgum prima-
 rium, Præceptorem meū summè honorādum.
 Inuenimus autem paulò suprà talum, pustulam
 nigram, nucis auellanæ magnitudinem vix ex-
 cedentem, & (vt dictum) sine dolore, inflamma-
 tione, & tumore. Qua pustulâ incisâ, non nihil
 ichoris, coloris flauī effluxit, subiecta verò ca-
 ro liuida, & sensus expers erat. Pustula mox in
 foetidissimum vlcus degenerauit, quod intrâ
 paucos dies tantâ sœuitiâ crus inuaserat, vt vna
 ex parte semimortuum conspiceretur. Vnde
 ex consilio Clariss. D. Doct. VVIERI, crus v-
 bicunque suspicio aliqua Gangrænæ aderat,
 scarificauimus, Cataplasmata item, vnguenta,
 aliâque plurima, quæ putredini aduersantur, &
 natium calorem simul, & nutrimentum attra-
 hunt, applicuimus. Cæterùm Clariss. D. Do-
 ctor VVIERVS particularibus quibusdam in-
 ternis medicamentis calorem natium refoeil-
 lauit, & continuò bonis & euchymis alimentis
 instaurauit. Sic DEI beneficio, & Medici huius
 ac Chirurgi summâ diligentia atque industria,
 reuocato tandem calore natiuo, & humido ra-
 dicali, putredo remisit, reliqua quinetiam sym-
 ptomata paulatim cessârunt. Mundificato de-
 in vlcere, & penè sanato, Cluiam reuersus est
 æger, vbi domi suæ adhuc ad tempus aliquod
 superuixerat.

OBSER-



OBSERVATIO LXXXIX.

*De Gangrana ex intemperie frigida & sicca,
deque aliis observatione dignis in ca-
dauere ex diuturno morbo ab-
sumpto, repertis.*

Post longos aliquando & diuturnos mor-
bos Gangrænam circà extremitates super-
uenire, & qua de causa id fiat, in tractatu de Gã-
græna satis superque demonstraui. Huius verò
rei exemplum memorabile mihi videre con-
tigit, quod ità se habet.

Anno 1600. Vxor IACOBI BAGOLE Cur-
sellis in agro Paterniacensi, paulatim morbo
admodùm intricato correpta fuit. Nunc enim
palpitatione cordis, nunc dolore, & tormini-
bus ventris vexabatur: interim tamen appeti-
tus non multùm prostratus fuit, ità vt pro mo-
realimenta assumeret, quibus tamen parum
nutriebatur. Tussiculâ quinetiam, palpitati-
one cordis, & difficultate respirandi laborabat.
Cum circiter annos quatuor vitã hancce cala-
mitosam vixisset, ac sceleti ferè instar, extenua-
ta esset, paulatim stupore & frigore in sinistra
manu, præcipuè circa extremitates digitorum,
correpta est: symptomata tamẽ hæc ab initio tã
exigua erant, vix vt percipi possent: nec aderat
tumor, multò minùs inflàmatio, imo nec dolor
vllus. Intereà tamẽ extremitates digitorũ & to-
ta manus paulatim & (quod mirádũ) absq; dolo-
re sphacelata & penitus emortua est. Ego mēse

Septem. 1604. tribus nimirum septimanis post inceptam sphacelationem digitorum, ad ipsam vocatus, brachium ad cubitum usque simul & digitos carbonum instar nigros, frigidissimos, & ita extenuatos, ut ossa vix tenuissima cute obregerentur, offendi; nulla tamen, ut dixi, aderat inflammatio neque dolor, imò ne quidem in loco illo, in quo calor natiuus nondum penitus extinctus fuerat. Porro etsi debilis illa, & perquam exigua recuperandæ sanitatis spes superesset, petierunt tamen tum maritus & amici, tum etiam ægra, ut brachium sibi amputarem. Paterniacum itaque adducta, quia malum ad eò lento & tardo pede adiacentes partes inuadebat, vix ut percipi animaduerti que posset, visum fuit corpus ante operationem præparare. Itaque per dies aliquot vires quantum fieri potuit, iusculis, & cibis optimis multumque nutrientibus, confectione item Alkermes, & quâ cinamomi, & Epithematibus, regioni cordis applicatis, instaurauimus. Postea præsentem Reuerendo viro D. IOHAN. MERVLA apud Paterniacenses verbi diuini Ministro, ac Clarissimo & Doctissimo viro D. ALBERTO HAVVENZVVEIG Medicinæ Doctore, Consultissimo item viro D. IOSVA CACHETO, Consulto apud Paterniacenses meritissimo, multisque aliis ex primariis Paterniacensium, brachium supra cubitum, & quidem in parte sana, feliciter, & ferè sine dolore, & sanguinis profluvio, abscidi. Quæ sanguinem sistunt, & dolorem leuiunt pro primo apparatu applicui, deinde etiam ea, quæ digerunt, & pus mouent. Vnde vulnus

vulnus breui digestum fuit, adeò vt laudabile
pus redderet: nihilominùs tamen circa vnde-
cimam post brachij abscissionem, gāgrēna de-
nuò truncum inuasit, ita vt paucos post dies è
vita discederet.

Post mortem, in præsentia D. HAVVEN-
ZVYIGII Doctoris Medicinæ, multorùmq̃
aliorum cadauer dissecui, & ea, quæ sequuntur
notatu digna in ipso obseruavi.

1. Abdomen serosi humoris plenum & ex-
tensum erat.

2. Mesenteriū steatomatis multis scatebat.

3. Sub vena portæ, & quidem in ipso Pan-
create scirrhus admodùm magnus conspicie-
batur. Hunc principium & præcipuam causam
huius morbi tam diuturni, tamque grauis fuis-
se, rationi consentaneum est. Quia enim venæ
portæ subiacebat, facile impedire potuit, quò
minùs chylus ad ipsum hepar perueniret, to-
tùmque corpus nutriret, vti quoque Obseruat.

70. centur. 1. demonstrauius. Hinc vitibus
paulatim prostratis, & calore natiuo diminuto,
sanguinem optimum & laudabilem generare
non potuit. Quamobrem in iuuentute, & ante-
quam nupserat, debilis, pallida, & palpitationi-
bus cordis obnoxia valdè fuerat. In matrimo-
nio tamē meliùs se habuerat, & proles aliquot
progenerat. Circà annum verò 1600. sympto-
mata omnia ingrauescebant, ita vt continuò
de dolore ventris, & quidem ea in parte, in qua
scirrhum inuenimus, conquereretur. Superue-
nerunt item dolores ventriculi & capitis, cum
totius corporis imbecillitate, tussi continua,

palpitatione cordis & appetitus imminutione. Itaque corpus sensim ita extenuatum fuit, ut ossa vix cute obtegerentur. Attamen interim dum ita laboraret, puellum progenuit, qui ad hunc usque annum 1608. quo hæc scripsi, bene se habet.

4. Hepar durum, pallidum, ac si elixatum fuisset, apparebat.

5. Pulmo dextrâ parte materiâ purulentâ ac foetidâ, sinistrâ verò humore seroso, imbutus erat.

6. Per totam Pulmonis substantiam scirrhii plurimi, colore liuidi, in quibus materia nigra, atramenti instar, contenta fuerat, conspiciantur.

7. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem, diuersi coloris, parui tamen omnes reperiuntur, quorum ego nonnullos domi in musæo meo reseruo.

8. Cor sanguine planè exhaustum, extenuatum, ideoque valdè diminutum & paruum erat.

9. Arteria venosa, quia in monstruosam amplitudinem extensa fuerat, eam hîc delineare placuit. Erat autem illa humore seroso impleta, qui, quia arteria hæc venosa ex simplici constat membrana, ut Galenus, de anatomic. administrat. lib. 7. docet, eam procul dubio in istam amplitudinem extenderat.

Arteria

OBSERVATIO XC.

*De membrorum contusorum & contortorum
periculosa extensione.*

Auicem. li. 4. fen. 5. tract. 1. c. 5. Ambros. Paraus li. 16. cap. 6. Joh. de Vigo lib. 6. tract. de dislocat. c. 1.

NON sine causa gravissima CELSVS lib. 8. cap. 11. & alij, monent, in dislocationibus, quicquid suo motum est loco, ante inflammationem reponendum esse. Sin illa adfuerit, quiescere oportere, nec membrum laceflere, usque dum inflammatio finita sit. Qui secus faciunt, non leuiora symptomata, imò & mortem nonnunquam inferunt, vt ex sequentibus exemplis apparet.

EXEMPLVM I.

Anno 1576. Puella quædam Nouisæ M. ANTONII barbitonforis filia, inter ambulandum pedem sibi aliquo modo contorsit, contuditque, absque tamen vllâ dislocatione. Quâ obrem primis diebus morbi, motus functiove membri vix impedita fuit, imò ambulabat, nec usque adeò difficulter. Quùm verò affectum neglexisset, dolor post dies aliquot auctus, mox pes intumuit, & inflammatio sequuta fuit. At quia pater è viuis excesserat, mater Empiricum accersuit. Is pede apprehenso violenter illum extendit, atque ex vna in alteram partem circumduxit ac contorsit. Postea bolum armenum cum farinis, & albumine oui mixtum, applicuit, omniâque tandem fasciâ diligenter & arctè

rectè constrinxit. Hinc propter ineptam extensionem & contorsionem, auctus est dolor. Et quia corpus impurum erat, neque post operationem expurgatū, maximus humorū affluxus, aliāq; symptomata sequuta sunt. Post dies aliquot, cū M. IOHAN. DVMGENS, ibidem Chirurgum experientissimum & diligentissimum (apud quem tum temporis in Chirurgicis operam dedi) vocassent, pedem mirum in modum inflammatum & tumefactum offendit. Dolor magnus, & febris cōtinua aderat, vigiliæ item, & inquietudines. Symptomatis, quantum fieri potuit, prospexit. Tandem circā articulum, & quidem in diuersis locis, abscessu rupto, plurimum serosi & acris humoris,) quē Germani *gliedwasser* appellāt) effluxit, ligamenta quinetiā hinc inde putrida, & ossicula cariōsa emanarunt. Post maximos & diuturnos cruciatus, imò & mortis discrimen cessarūt symptomata, ita vt post menses circiter sex duobus suffulcris innixa, tandē inque baculo incedere posset, sed per totam vitam claudicauit. Huius rei ego sum testis ocularis.

EXEMPLVM II.

Similem casum Metis in iuvene quodā Germano obseruare licuit, cui ex iunctura pedis ossicula nonnulla eximere coacti fuimus. Tandem multis & longis adhibitis laboribus, DEI beneficio conualuit.

EXEMPLVM III.

Fœminam quandam iuuenem adhuc satis, in pago Vvandalo in Ducatu Iuliacēsi cognoui,

Aa

quam cum quidam nebulo stuprare vellet, ipsaq; sese ab illo defendere conaretur, genu sibi contorsit. Hinc paulatim exorto dolore inflammatione, imprudenter ab Empirico genu extensum, atq; hinc inde contortum fuit, symptomata gravissima, mortisque discrimen superuenerunt. Tandem nihilominus conualuit, per totam vitam tamen, non nisi suffulcris innixa incedere potuit, uti ego ipsemet vidi.

EXEMPLVM IIII.

Matrona quaedam Paterniacensis septuagenaria EVA VIGNON nomine, ante annos 12. in terram procidens, genu sibi aliquo modo contudit atq; contorsit, illesam tamen eius functionem. Quare cum res suas domesticas curaret, & in agros excurreret, interimq; locum affectum mirum in modum labefactaret, aucto dolore, Empiricam quandam aduocat. Illa quum genu supra modum extendisset, & ex vno in alterum lat^{us} hinc inde contorsisset, nec non Emplastrum ex pice applicuisset, exorto prius dolore maximo, inflammatio, febris continua, aliaq; symptomata superuenerunt, ita quidem, ut de vita actum esse, cuncti opinarentur. Tandem ex infima parte rotule abscessu rupto, per dies aliquot multum ichoris, deinde quoq; materia digesta & bene cocta effluxit: hinc dolor, aliaq; symptomata paulatim remiserunt, vlcus tamen ultra menses quatuordecim apertum remansit, quinetiam pus tam copiose per illud effluxit, ut reliqua membra plane skeleton representarent. Conualuit nihilominus
Diui-

Diuino fauore, postea tamē ne pedem quidem,
 ut ita dicam, absq; suffuleris mouere potuit. E-
 go illam in hoc misero vitæ statu per multos
 annos cognoui, in ò superiori anno ex fractura
 eiusdē tibię, foeliciter curauī. Præterea verò die
 26. Decēb. 1607. vnà cum doctissimo viro Do-
 ctore, conuictore meo suauissimo, genu inspe-
 ximus, & summâ qua potuimus diligentia, quæ
 notatu digna, annotauimus. Genu & coxa ali-
 quantum extenuata erant, ipsum verò genu im-
 mobile, & tibia coxâ versùs retracta cerneba-
 tur. Sed quod præcipuè notandū, rotula situ na-
 turali amota, & altitudine quatuor digitorum
 sursum coxâmq; versùs retracta erat, quod signū,
 Tendinē, cuius beneficio rotula ossi tibiæ alli-
 gabatur, erosum atq; ab ipso osse separatū fuis-
 se. Tumor nullus aderat, de dolore tamen, quo-
 tiescunque tempestas mutaretur, sed in primis
 frigidiorē & humidiorē aëris constitutione,
 conquerebatur.

EXEMPLVM V.

Autumno superiori 1607. infās quidā à Nobi-
 liss. viro D. NICOLAO A VVATTENVVIL,
 Dom. in Vvillart ad Muratū ad curandū mihi
 commissus fuit. Cui imperitus barbitonsor, dū
 mero ingurgitatus esset, brachium sinistrum,
 nescio quam ob inflationem carpi, ita exten-
 derat, atque contorserat, vt maximus dolor
 & inflammatio totius brachij sequuta sit.
 Circà carpum & metacarpum duobus in locis
 ruptâ vomicâ, curationem, præsentibus Do-

Aa ij

Clarissimis viris D. MICHAELE DORINGIO Medicinæ Doctore, & EMANUELE VRSTISIO Artium liberalium Magistro, cōiūctorib. meis, spacio vnus mensis, feliciter absoluimus, nullo in brachio impedimento relicto.

EXEMPLVM VI.

Anno 1609.9. Nouēbris Paterniaci vnà cum Clarissimo ac doctissimo viro DN. ANDREA VVICKIO, Medicinæ Doctore, cōiūctore meo suauissimo, puellā, quæ Grādissonio Paterniacū adducta fuerat, inuisi. Illa ante mēses duos, cum ex sepe in terrā satis aridā profiliret, pedes sibi aliquātum cōtorserat. Exorto dolore inflammationē, Empiricus adhibitus fuit: qui pedes a deo extendit, & hinc inde cōtorfit, vt aucto dolore, & inflammatione sequuti sint abscessus, & circūcirca articulos pedum, & quidē diuersis in locis, vlcera sinuosa, ex quib. serosus humor copiosè effluebat. Dolor in ipsis articulis adeo magnus ac pungens erat, vt pedes vix mouere, multò minus incedere posset.

ADMONITIO AD TYRONE S.

Plura huius argumenti exempla in medium adferre possem, sed vereor ne lectori sit tædiosum. Prudenter itaq; & cautè, vt Chirurgus in eiusmodi casibus agat, necesse est. In primis autem explorare debet, an dislocatio aliqua adsit, necne? Si enim dislocatio nulla adsit, ad quid, quiso, extensio? nisi ægram periclitari velis, id quod hominem probū, & rationalem Chirurgum minimè decet. Sin autem dislocatio adsit, ea protinùs reponenda. Quod si ab initio Chirurgus vocatus non fuerit, ità vt membrum affe-

affectū iā intumuerit, & inflāmatione torquea-
 tur, victus tenuis prescribendus, corpūsq; à pra-
 nis humoribus repurgandum erit. Vena item, si
 necessitas requirat, & nihil adsit, q̄ obitare pos-
 sit, tundēda; loco verò affecto repellētia appli-
 canda sunt, donec sc̄uitia inflammationis, ali-
 quo modo sit sedata, tūm operatio tentāda, sed
 blādē vt fiāt omnia, prospiciendum. Hoc mo-
 do procedenti, & DEVM OPT. MAX. inuocan-
 ti, omnia ex voto succedent.



OBSERVATIO XCI.

Ex nimis tarda solutione deligationum
 in fracturis, quæ symptomata
 sequuta.

Quia in superiori Obseruatione de Empi-
 ricis operationib. egimus, non multū ab
 instituto aberrare existimo, si, quid ex tarda so-
 lutione deligationum in fracturis accidisse ob-
 seruauerim, hīc annectā, vt tyrones inde, quo-
 modo in eiusmodi casibus procedendū, ediscā.

EXEMPLVM I.

Quidam ex domesticis Domini SAMVE-
 LIS MORATELLI ciuis Paterniacensis, vir
 robustus, & optimo corporis habitu præditus,
 ætatis tempore brachium sibi ad cubitum fre-
 git. Et quia tum tēporis Basileā profectus erā,
 rusticū quendā, (qui in hoc tractu præ alijs etiā

exercitatis chirurgis in fracturis ac dislocationibus reponendis, extollitur) ex pago proximo accersuerunt. Coniunx quoque mea, quia non raro, me absente, fracturas ac dislocationes, reposerat, & sanitati restituerat, simul vocata fuit, ad eum quoque finem, ut domestici mei vulnus, quod fracturam comitabatur (cuius curam rusticus ille Empiricus aggredi nolebat) curarent. In locum suum fracturâ repositâ, emplastrum ex pice flava applicuit, fasciisq; & spleniis omnia deligavit, (relictò tamen foramine pro vulneris mundificatione) & ne ante decimum tertium diem soluerentur fasciæ, spleniâ, & emplastrum amoueretur, iussit, domumq; se contulit. Quid fit? Alterâ die post denuò dolor superuenit, qui paulatim auctus erat. Interim domestici mei, qui vulnus quotidie curabant, ægrum & adstantes, ut emplastrum amoueretur, admonuerunt, sed frustra: maluerunt enim impostorum, quàm in arte versatorum consilium sequi, dolore tamen magis magisque aucto, tandem parere coacti fuerunt. Præsentibus itaque D. MORATELLO, aliisque fide dignis hominibus, fracturâ à domesticis meis solutâ, emplastroque ablato, brachium nõ solum trib. in locis exulceratum offenderunt, verum etiã tam foetens, ut hinc inde vermes, quales in carne putrida generari solent, cõspicerentur. Imposito itaque vnguento nostro Aegyptiaco, & Cataplasmate aliquo, putredini resistente, applicato, curationem feliciter absoluerunt, brachiumque pristinae sanitati domestici mei restituerunt.

EXEM-

EXEMPLVM II.

Sabaudus quidam, vir senex ac decrepitus, Geneuæ in pôte Rhodani ex equo delapsus, tibi sibi paulò suprâ malleolû fregit. D. IOH. GRIFFONIO mecum aduocato, fracturam feliciter reposuimus, omnisque dolor protinùs sedatus fuit. Tertio die post, quùm fracturâ solvere vellemus, æger recusabat: aiebat enim, sibi à quodam amico, & in arte versato (erat autem is Empiricus) significatû, fracturâ ante septimam diem non esse soluendam. Quinto tamen die morbi, dolore exorto, & propter seriâs admonitiones D. GRIFFONII, in præsentia D. IANI ANTONII SARAZENI Medici Regij, solutâ fracturâ, pustulæ multæ ac liuidæ, quæ gâgrænâ proximâ significabant, conspectæ fuerunt. Scarificatâ tamê tibia, & medicamētis gâgrænæ aduersantibus applicatis, tandem conualuit.

EXEMPLVM III.

RVsticus ex pago quodam in agro Pater-
niacensi, sub plaustro lignis onusto, pedê
adeò sibi fregit, vt à iunctura separatus, &
mirum in modum contractus esset. Aduocatus
ego, antequam manum adhiberem, vtque op-
probrium omne præcauerem, adstantibus se-
quêtia significare visû fuit. Primò etiâsi sūma
adhiberetur diligētia, curationē nihilominùs,
propter magnitudinem morbi ante mēses sex
vix absolui posse. Secundò, quia fractura in-
gens, claudicationem impediri non posse. Ter-
tiò, quia ego, tum temporis, cum aliis quo-
que agris occupatus, necesse esse, vt ægram

ad me adducerent. Ad hæc cum parentes & adstantes consensissent, fracturam reposui, & domum redij, expectauique donec ægrum adducerent, sed frustra. Tanta enim fuit apud eos negligentia, vt ægrum apud se retinerent, neque me, neque quenquam alium, qui fascias, medicamenta que mutasset, aduocarent. Post itaque dies aliquot, rursus dolore acerbissimo, inflammatione item ac fœtore subortis, miser ille extinctus est.

EXEMPLVM IV.

Ego quoque, quum in solutione fracture cuiusdam nobilis Belge non satis diligens essem, ac à decimo quarto vsque ad vigesimum primū diem, medicamenta minimè mutassem, callus adeò magnus procreatus extuberatusque est, vt inde maxima deformitas tibiæ sequuta fuisset, nisi protinùs callum repressissem. Quà verò id methodo factum sit, Lector ex Obseruatione 91. Centur. 1. colligere poterit.

ADMONITIO.

Vt itaque cautè ac securè agamus, secundo aut ad minimū tertio quoque die, Hippocrate & Galeno docente, fractura soluenda est, idque in eum finem, ne in membro, præter solitum cooperto, dolor aut pruritus suboriat, neque eius humoris, qui iam parti affectæ infixus est, perspiratio prohibeatur. Post septimum, etsi non vsque adeò necesse sit, toties fracturas soluere, de quarto tamen in quartum, fascias soluere, partemq. affectam inspicere solitus sum.

OBSER-

*Hippoc.
lib. de fra-
cturis.
Galen. in-
troduct. seu
medico
cap. 30.
Methodi
med. lib. 6.*



OBSERVATIO XCII.

De Euphorbio. in carie ossis

Ad

Amplissimum atque celeberrimum virum D.

DOCT. CASPARVM BAVHINVM, Illustriss.

Ducis Vuirtenbergici & Teccy &c. Medi-

cum, nec non Anatomicum & Botani-

cum in Academia Basiliensi

ordinarium.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

IN vlcereum curatione, vir Amplissime, nihil
 Interme occurrit, quod Chirurgo maiorem
 pariat molestiam, atque plus negotij faceffat,
 quam si vlcus cariem in osse sibi adiunctam ha-
 beat, præcipuè si profunda fuerit, propter hu-
 morem, ossi imbutum. Ad huius autem humo-
 ris exiccationem & ossis decidentiam, tum ab
 antiquis, tum neotericis Medicis ac Chirurgis
 præstantius cauterio actuali, nihil excogitatū
 est, quo & ego non rarò maximo cum fructu-
 sus sū. Post Cauteriū actuale euphorbiū hoc in
 casu secundū sibi locū vendicare, facilè cōcedo.

Quādoquidē nō solūm quia acre est, & cali-
 dū in quarto gradu, humores ossi imbutos exic-
 cat, sed videtur occultā quadā facultate hīc cō-
 venire. Nō immeritò itaque à Dioscoride, A-
 uicēna, & recētiorib. Medicis in cariosis ossib.
 præ aliis medicamentis celebratur. Ego etsi
 hactenus in cariosis ossibus Euphorbio maxi-

*Dioscor.**lib.3.cap.*

96.

*Auicenna**li.2.tract.**1.cap.236.*

mo cum fructu usus fui, vna ramē mihi occurrit difficultas, nimirum an verum Euphorbiū, cuius Dioscorides mentionem facit, hodie ad nos aduehatur? Scribunt enim Dioscorides, & Auicēna, beneficio euphorbij cariem ossis vna die abscedere, id quod nostrum vix spacio quadraginta dierum præstat: neque proximā carnem adurit, quemadmodum Diosc. & Auicē. de suo Euphorbio scribunt. Hinc verisimile est, aut textum Dioscoridis adulteratū esse, aut Euphorbium antiquorum apud nos non extare. Sed quis doctorum virorum huius seculi T. Excell. modum huncce meliūs soluere poterit? quem vt soluere dignetur, obnixè rogo. Ceterum Dioscorides & Auicenna monent, vt si quando quis Euphorbio vti voluerit, propter eius summam acredinem atque caliditatem ossium circumiacentem carnem linamentis aut ceratis diligenter ac probè communiat, ne contactu carnis inflammationem excitet. Vesalius in sua Chirurgia, & Fallopius in tractatu de vlceribus, non minūs hac de re solliciti sunt. Hinc factum, vt à multis annis Euphorbio vti ausus non fuerim, propter metum inflammationis aut doloris. Deindè non exigua erat molestia circumiacentem carnem, quotiescunque vlcus curare necesse fuit, ita diligenter munire. Paulatim tamen experientia, contrarium me edocuit, nimirum Euphorbium nostrum, etsi linguam & nares vehementer mordicet ac vellicet, in vlcerib. tamē, etiā si copiosè iis inspergatur, nullā inflammationem, aut dolorem excitare. Fœlici itaq; cū successu in ossa

in ossa cariota, carne denudata, etiam immuni-
tis ulcerum labris, quotidie, aut alternis die-
bus eo insperso, vtor: sicuti doctiss. D. M. E-
MAN. VRSTISIVS, qui has Excell. T. tradi-
dit, sapissimè apud me vidit, etiam in pueris.

Ante annos aliquot, cum hæc coram quo-
dam Medico doctissimo, longaque experienciã
prædito, narrarem, miratus fuit. Quapropter
petiit, vt ille ipsemet in Officina Pharmaceu-
tica Euphorbium optimum sibi eligeret, & in
pulverem redigi curaret. Quo factò, puerum 14.
annor. natum, & ulcere in anteriore parte cru-
ris (in quo anterior pars ossis tibiæ, siue foci-
lis maioris, longitudine spithamæ denudata e-
rat) laborantem, accessimus. Tùm temporis ul-
cus impleui pulvere Euphorbij, deindè fila-
mentis siccis, & emplastro diapalmatis super
impositis, in alterum vsque diem reliqui, quo
denuò Medicum ad ægrum duxi, qui dùm nul-
lam neque pulsus, neque vrinæ mutationem
perciperet, multò minùs dolorem aut inflam-
mationem aliquam adesse videret, rei nouitate
obstupuit, quòd oculari demonstratione vide-
rit, Euphorbij sæuitiam atque acrimoniam in
ulceribus tantam non esse, sicuti à doctissimis
& præstantissimis Medicis diuulgatum atque
proclamatum.


Porro apographum Observationũ de qua-
dã Trisaginis specie, & Alliaria, quas olim Cla-
riss. atque Doctissimo D. GEORGIO IENI-
SCHIO (cuius ego nũquã nisi effusis lachrymis,
propter summam illam, quæ inter nos fuit
amicitiam, recordor) inscripseram, nunc

*De quadã
Trisaginis
specie.*

Excell. T. Studij huius Botanici lumini celeberrimo communico. Ille, quia paulò post ex hac vita ad beatorum sedes demigravit, ad illas non respondit. Tuæ itaque Excell. sententiam atque opinionem scire aueo. Hac Aestate duas singulares, mihi que raras, fungi species, observare licuit. Vna ramosa existit, & Rosam Hycricontheam planè refert, nisi quòd in sua basi multò sit spissior, hæc exterius flavescit, interius vero, instar agarici, albescit: Crescit in locis arenosis, altitudine circiter semipedali. Altera clavam aliquo modo depressam repræsentat, excrescit in longitudinem trium pollicum, horum fungorum multi ex vna eademque basi proveniunt, qui extrinsecus nigri, intrinsecus verò albi, duri item & solidi, in locis umbratis, humidis & lutosis crescentes. Vnius atque alterius fungorum horum portiunculam ad Excell. T. mitto, vehementer rogans, ut omnia æqui bonique consulere dignetur. Vale vir Amplissime, & Aesculapiadeæ familiæ decus longè celeberrimum, cum tuis omnibus, quos tecum ego & COLINETAEA mea demissè salutamus. Paterniaci Auenticor. 10. Decemb. 1607.

*De specie
quadam
fungi.*

OBSER-



OBSERVATIO XCIII.

De altera quadam Scordij specie.

*Ad**Clarissimum & doctissimum virum D. GEOR-*
*GIVM IENISCHIVM Medicinae Doct.**& Generosi Baronis à Zerorin*
Medicum ordinarium.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Non minùs verum, quàm elegans dictum
 Nest Clarissime atque amantissime Ieni-
 schi, Similitudine morù & studiorum procrea-
 riamicitiam. Cuius dicti veritatem egomet in
 te naturæ abditorum scrutatore sagacissimo,
 expertus sum. Cùm enim Geneuæ ex ineunte
 nostra amicitia ac conuersatione te inter reli-
 qua præclara studia Botanicæ & Anatomicæ
 scientiæ, non tantùm studiosum, sed etiam cu-
 riosum viderem, non potui te non amare & co-
 lere, huncque meum ergà te amorem, ob loci
 distantiam argumento hoc de Scordio nostro
 altero (quod in curanda Gangræna non po-
 stremum obtinet locum) testificari, tuùmque
 iudicium de eadem re officiosè abs te expete-
 re. Omisâ igitur primâ specie Scordij, quæ ve-
 rum Scordium dici meretur, secundam aggre-
 dior, quam vulgus Herbariorum Chamædrios,
 siuè Trissaginis speciem statuit, quam tamen

1. ratio.


potius esse speciem Scordij existimo, suntque hæc meæ rationes. Primò, quia vires ferè ealdè cum vero scordio obtinet, prout ego sæpius ab ipsa experientia edoctus sum: resistit enim putredini, exiccat & mundificat vlcera putrida ac gangrænosa, quamuis viribus vero scordio non sit conferenda.

2. ratio.

Secundò quo ad radicem, quæ valdè convenit cum radice veri Scordij; etenim ramos suos latè extendit, sed in hoc differt, quòd durior sit, & magis lignea. Caulis quadratus, & eiusdem coloris cum vero Scordio, sed ut radix, durior. Flos, si colorem, si magnitudinem & formam inspicias, prorsùs idem est cum vero scordio; tota item hæc herba gustu amara atque ingrata est: odore allij, & ut verbo dicam, in toto similima Scordio, nisi quòd amaritudine, odore, ut & viribus vero Scordio aliquantum sit inferior, & folia magis incisa habeat.

Cum igitur alterū hoc Scordium, vero Scordio per omnia simile, quumq; hoc ubiq; & copiosè non possit reperiri, eius loco illud (quod ubiuis ferè prodit) substituo, sed quoniam gustu, viribus & effectu inferius priori, dosin eius duplico, ut quod viribus seu qualitatibus deest, quantitate recompensetur, cuius dosis duplicationem in Gangræna & eiusmodi putridis vlceribus curandis, felici successu ægris convenientem & utilem esse, non rarò expertus sum. Habes itaque amantissime Domine Doct. IENISCHI peculiarem meam de secunda specie Scordij Observationem, de qua iudicium ac sententiam tuam expecto. Vale & me
vt

hactenùs, amore tuo solito prosequi dignemur, vehementer abs te peto. Laufannæ 10. Iunij
1597.



OBSERVATIO XCIV.

De Alliaria.

Idem ad

*Eundem Clarissimum D. Doctorem GEOR-
GIVM IENISCHIVM.*

Valis mea sit opinio vir Clarissime, atque
amicorum longè charissime, de secunda
Chamædrios siue Triflaginis specie, superio-
ribus meis ad te literis datis, satis superque de-
claravi. Nunc idem argumentum prosequens,
de ALLIARIA, paucis ad te scribere statui.
Qualis autem illa herba sit, etiam tyrones no-
runt. Ego de viribus inquirendis solummodò
sum sollicitus, ob hanc præcipuè causam, quòd
nunc Tractatum meum de Gangræna & Spha-
celo denuò præ manibus habeo, in quo medi-
camenta tam simplicia, quàm composita, quæ
hactenùs selectiora observavi, in memoriam
reuoco. Habet enim singularè vim, ac proprie-
tatem, qua putredini aduersatur. Ideoq; vlcera
putrida ac sordida abstergit, & mundificat, mi-
nori tamen cum efficacia, quàm verum Scordiũ,
vti ego re ipsa primo quoq; nostro conuentu,
Deo dante, tibi ad oculos demonstrabo. Mirũ i-
gitur nemini videri debet, si nõnulli antiquorũ

Arabum præcipuè, pro Scordio vero, Alliarium aliquando substituerint, non quòd verum Scordium ipsis fuerit incognitum, sed quòd in Alliarium easdem ferè vires cum Scordio reperirent. Sed quæris forsan, cur ità sine sollicitudine Alliarium, cum Scordium multò sit præstantius? Causa est, quòd Scordium in multis regionibus minimè crescat, neque nisi siccum, & ut plurimum obsoletum haberi possit, cum Alliarium ubique locorùm prodeat. Sed quia in exiccata herba parum facultatis & virium remanere, expertus sum, idcirco ipsam in fine Aprilis, aut ineunte Maio colligere soleo, & postquam per diem unum in umbra exiccata fuerit, minutim incido, contundòque in mortario, & prælo succum exprimo, quem in vitreis ampullis, superinfuso parum olei, annum integrum, imò ad tres usque annos referuo. Idem quoque succus sartagini infusus lento igne inspissari potest, & ad eundem usum in multos annos referuari. Magma deindè exiccatum, & in cineres redactum, aut ex eo sal extractum, maximo cum fructu mundificatiuis admisceo. Succum verò siuè simplicem, siue inspissatum unguentis & Cataplasmatibus inodo, ad Gangrænam, aliàque vlcera putrida, sordida ac maligna, uti in meo tractatu de Gangræna & sphacelo videbis. Abstergit enim, ut antea monui, mundificat, & putredini resistit, parùmque à vero Scordio, minùs verò ab altero, cuius in vltima ad te data epistola, meminì, discrepat. Ex quibus summa Dei, ergà nos miseros homines, Clementia atque misericordia elucescit, quòd,

ea

quæ ad profligandos morbos, maximè sunt necessaria, vbiq; prouenire voluit. Ita vt planè existimè, in vnaquaq; regione, si quis diligèter proprietates, virtutes atque preparationes simpliciũ, inquirere vellet, facilè ea omnia, quæ ad sanitatem conseruandã, & morbos depellèdos necessaria, inueniri posse. Quòd si quid Vir clariss. hac in re obseruaueris, mihi amicè cõmunicare ne dedigneris. Interim Deũ supplex oro, vt te quàm diutissimè incolumè & saluũ cõseruet. Raptim Lausannę 2. Decembr. 1597.

DE ALLIARIA.

*Amplissimi atque Celeberrimi viri D. Doct.
CASPARI BAVHINI Illustriss. Duc.
Virtēbergici, &c. Teccy & Medici,
nec non Anatomici & Botanici
in Academia Basiliensi
ordinarij,*

Ad

GVIL. FABRICIVM HILDAN.

Responsio.

VVulgarem hanc plantam ALLIARIAM dictam, ad Allij societatem ^a non forma, sed odor & sapor pertrahunt, siquidem ^b folia trita, ingratum, & planè alliatum odorem referunt: vel Porri ^c sectiui cum Nasturtio contusi odorem repræsentat.

^a Dodon.
edit. post.
^b Lugd. E-
ric. Cord.
Fuchsf. ha-
bent odorẽ
allij, Pan-
dect. An-
guill.
^c Trac. Lo-
nic.

Bb

Hæc ex radice ^dlongiuscula, eiusdem cum fo-
 lijs odore rectâ, tenui duriusculâ ^ealiquando li-
 gnosa, & ^f alba: Caules tenues, rotundi cubito
 s altiores exurgunt. Folia primò prodeuntia
 subrotunda, violæ ^h Martiæ similia, at latiora,
 quæ iuxtâ pediculum introcedunt coloris her-
 bacei, quæ vbi in caulem abiit, oblonga reddû-
 tur, acuminata aliquando inⁱ angulos exeuntia,
 per ambitum laciniata, vel incisa, vt ^lVrtice, vel
 Melissophylli effigiem quadantenus referant:
 sed leuiora, nec itâ rugosa, ad pediculum la-
 tiora: aliquando folio est amplissimo latissi-
 moque, dodrantem videlicet longo & lato,
 quod cum Thalia notauimus. In caulium sum-
 mitate circâ ramulos flosculos multos candi-
 dos, & quasi congestos fert: quibus siliquæ re-
 nues, oblongæ ^mChelidoniæ aut Napi haud ab-
 similes, semine nigro exiguo repletæ succedunt.

N O M E N. Quomodo veteribus Græcis
 & Latinis appellata sit, nondum constat: fortè
 à Dioscoride prætermissa. Tragus tamen Thla-
 spidium secundum Crateuæ censuit: sed bre-
 uior est Dioscorid. lib. 2. cap. 106. quàm vt
 certi quid statui possit: Alterum inquit, Thla-
 spi recenset Crateuas, quod aliqui Persicum
 sinapi vocant, latis folijs & radicibus magnis,
 quod & ipsum Ischiadicorum infusionibus ad-
 miscetur. Sic Pena in Aduersariis, Alectoro-
 lopho Plinij non pessumè quadrare huius de-
 lineationem scribit, & ex eo Lugdun. quare
 & Dalechampius in Plinium quorundam opi-
 nione Alliariam esse monet. Sed opinionem

Lugd. Laciniis circumdata. Vercell. l Matthiol. m Sinapi aut Che-
 idonia Trag. Lonic. Napi Anguill. Pena Lugd. Irionis Matthiol. Lugd.

hanc non probamus, quia verba Plinij lib. 27. cap. 5. sic habent: Allectorolophos, quæ apud nos crista dicitur, folia habet similia gallinaceæ cristæ, plura, caulem tenuem, semen nigrum in siliquis. Alliaris vulgò Herbariis, Trago, (cui & Thlaspi cornutum) Fuchs. Matth. Dodon. gallica editione & post. Verecellens. Lob. Lonicero, Thalyo, Cæsalp. Lugdun. Tabernem. Camer. Gerardo: Alliastrum vel Alliaris, Gesnero historia: Alliaris altera, Amato: Alliaris, Rima marina, Alliarica, Pesasini, Pandect. Eric. Cordo. Monachi in Mesuen: Rima Maria, Anguill. Germanis *Knoblauchkraut*, *Leuchell*, *Saßkraut*, *Salsekraut*. Belgis *Loock söder Loock*, id est, *Allium non bulbosum*: Anglis *Sauce alone*, & *Iacke of the hedge*: Gallis *Alliayre*, *Herbe aux aulx*: Italis *Alliaris*: Bohemis *Cze-fenkouua hylena*: Polonis *Czofakouue zice ro-tore*, *offa noga*.

TEMPVS. Martio, communiter Aprili mense prouenit: Maij mensis initio, & Iunio floret.

LOCVS. Sponte locis incultis, vmbrosis circa muros, hortorum sepes, & cauernas, quæ laceratarum & aliorum animalium habitationes sunt prouenit: rariùs ad ^b pratorum & agrorum ^a ^c margines: in arundinetis nonnulli, alij ^e in salicetis & alnetis cæduis, & ad ripas Boleti in Sicilia notarunt.

TEMPERAMENTVM. Cùm Allium suboleat, eodem Temperamento præditum esse, quidam ^f volunt: quare calefacere & desiccare, non tamen perinde atque Allium, alij ^g ad Nasturtij naturam, accedere statuunt, sanè

^a *Tragus.*

^b *Dodon.*

^c *Matthiol.*

^d *Monachi.*

^e *Schwenckfeld.*

^f *Fuchs.*

Lonicerus.

^g *Tragus.*

- h Secundo inteso aut tertio remisso Dod. i Trag. Lonic. k Matthiol.* cum tota gustu calidiusculo sit, secundo ordine calefacere & siccare^h censemus. Semē tamē feruentius existit, quare voluerunt aliquiⁱ rectius exterius adhiberi, quàm intrinsecus exhiberi: omnia, quæ Nasturtium posse, sed minori efficacia Fuchs. scribit. Calefacit, aperit, ^k incidit, digerit, prouocat, crassos humores extenuat, lentosque incidit.
- a Dodon.* Vsvs. Etsi in Medicina vsum nullum cognitum habuerit, ^a aliqui attamē, & in culinis vsum inuenit, & remediis tam internis, quàm externis vtiliter adhibetur.
- b Dodon.* Martio enim & Aprili, folia^b recentia ad condimenta, intinctus & salsamenta adhibentur, & pro Allio substituuntur. Foliis ^b contusis cum piscibus salitis nonnulli pro condimentis vescuntur.
- c Tragus.* Alij^c embammatis iungunt, aceto, sale, & zinzibere condita: hæc enim non sunt nimium feruentia, & vtiliora iis, quæ ex sinapi fiunt: quare & Angliæ^d mulierculæ folia succulentata, salsamentis frequenter miscent, ad incolunitatem annuam tuendam, primo Vere commendant. In Medicina^e facultates tribuuntur, quæ & Nasturtio & sinapi: Multò tamen mitior, & vsus commodior existit: Alij^d ad Erysimum aut Erucam facultate referre volunt.
- f Game-rar. ad Matthiol. g Taberne-mont. 2. parte.* Herbarum decoctum Asthmaticis vtile, siue solum, vel in aqua^f & oleo decoctum, & epotum.
- Seminis vsus esse potest, ad ^g humores crassos in pectore incidendos, quare tussientibus com-

commendant.

Succus febribus malignis continet.

EXTRINSECVS. Succus ^h vel semen in pul- ^h *Tragus,*
verem redactum, narib. inditum, sternutamēta *Lonicerus.*
prouocat: Epilepticos ac Lethargicos excitat.

Semen ⁱ cum aceto Emplastri modo, mulierib. ⁱ *Trag.*
strangulatu vteri laborantibus, pectini vtiliter *Fuchs.*
imponitur, easdem excitat. *Matthiol.*

Semen ^k in eundem vsu linteo sacculo di- *Lonicer.*
giti longitudine & crassitie insui potest, & v- *sine aceto*
teri collo inferi. *applicant.*
Lugdun.

Sunt qui folia Enematibus incoquant, quæ *addit*
vel ad Coli, vel ad nephriticos dolores iniiciū- *aiunt.*

tur, à quibus non tantum flatus insigniter di- ^k *Mat-*
scuti, sed etiā ex calculo dolores mitigari ac *thiol. Ger-*
fopiri ^l volunt. Sic etiam aduersus coxendi- *man.*

cum affectus, clysteribus rectē adiungi ^m sta- ^l *Ait Do-*
tuunt. *don.*
^m *Tragus*
Lonicerus.

Folia trita, & imposita, Noli me tangere, sana-
re, testis est Pandectarum author, quare & suc-
cum & puluerē vtilia esse in malignis vlcerib.
Cancrum minantibus, Camerarius auctor est.

Officinę ^a olim pro Scordio perperam vsæ ^a *Dodon.*
sunt: odore ^b quidem, sed nec facie nec faculta- *Camerar.*
tibus planta hæc Scordium æmulatur: quare *ad Mat-*
Monachi in Mesuen ^c monent, ne quis odore ^b *thiolum.*


Scordij decipiatur, & Alliarium vulgò dictam ^c *Distinct.*

accipiat; quamuis magna sit ratione faciei dif- ^c *45. in*
ferentia. Arabes tamen pro Scordio non Allia- *Scordio.*

riam, sed Allium syluestre, similitudine nomi-
num decepti, sumpsere, cum Allium dicatur.

Hic habes Vir præstantissime & amice, quæ
de Alliarium respondere potui, de reliquis etiam

390 OBSERV. CHIRURG.
proximè, DEO concedente. & c. Ocyùs Basilez.
5. Junij 1608.



OBSERVATIO XCV.

De Peste extinctis non illicò inhu-
mandis aliquot exempla.

Ad

Clarissimum atque Doctissimum virum D. IO-
HANNEM IACOBVM GRAFFTIVM
apud Neocomēses Medicina Do-
ctorem ordinarium atque
celeberrimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

NON immeritò, Clarissime atq; amantissi-
me Doctor GRAFFTI, interdixit LEVI-
NVS LEMNIVS de occultis naturæ miraculis,
lib. 2. cap. 3. Comitiali morbo, Lethargo, Apo-
plexiâ, & vteri strangulatione oppressos, cõfe-
stim sepulchro committendos esse. Compertũ
enim habeo (inquit) nõnullos effracto capulo,
revixisse. Quãobrem lege cautum esse cõuenit,
ne libitinarij ac vespillones præproperè, quos
mortuos existimãt, extinctæq; animæ speciem
præbere vident, loculo includãt, eos præsertim,
qui a poplexiâ, & alijs supradictis morbis suffo-
cantur, cùm in illis nonnunquã delitescat ani-
ma, quæ rursùs corpus spiritu vitæque imbuit.
Huius

Huius rei apud Plinium Natural. histor. lib. 7. cap. 52. Georgium Pictorinum sermonum cō- uual. lib. 1. Alexandrū Benedictum Pract. lib. 10. cap. 10. Paræum, Forestum, Albertum Botto- num, Schenckium, & Lusitanum, exēpla extāt.

In Peste verò, malignis & contagiosis mor- bis, vt protinus inhumantur cadauera, rectè quidem suadent Practici: simile enim quiddā, inquit idem LEMNIVS, corporibus recens ex- tinctis euenit, quod cereis, lychnisque ac funa- libus, quæ accensa nullam graueolētiam narib. offendunt: at extincta, flammaque sopita, terro undique fumantique odore cœnaculum com- plent. Verùm neque id sēper tutū esse, & homi- nem Christianum minimè decere, quæ sequū- tur exempla testantur.

EXEMPLVM I.

Circà annum 1566. ANTONIVS CORMAN- cc
NVS BOVIVS, indigena pagi Meniere, (qui ad Illustris Reipub. Freyburgensium Heluetior. ditionem spectat) dicti, nec ita procul Pater- niaco siti, cūm annum vigesimum secundum æ- tatis attigisset, ac vxorem duxisset, nō diu pōst DEVS OPT. MAX. Peste (quæ tunc in istis re- gionibus passim grassabatur) familiā ipsius in- uisit, atque exercuit. Perierunt ex ipsius dome- sticis multi, in primis pater, mater, vxor, & nō- nulli ex seruis & ancillis. Ille similiter mense Augusto eodē morbo, tam vehementer corre- ptus fuit, vt à secunda die adstātes nihil aliud, quā singulis momentis DEO ipsum animā red- diturum, expectarent. Morbo magis ma-

Bb iiij

gisque ingrauescente, quartâ die morbi, animi deliquio tam vehementi correptus est, ut adstantes ipsum iam expirasse putarent. Electro itaque in mensam corpore collocato, linteamini illud (sicuti istis in locis moris est) inuoluerunt, atque insuerunt, cuiusque ibi spacio octo circiter horarum expositum fuisset, iamque eius loci Presbyter, Libitinarij ac vespillones, ut illud inhumarent, aduenissent, loculoque imponere vellent, membra verò nondum planè rigida esse perciperent, mirati sunt valdè. Quamobrem presbyter iussit, ut lo-dix circa faciem & pectus diffunderetur: postmodum lanæ floccum, & plumam naribus labiisque admouit. Ex quibus, cum de vita nondum penitus extincta, spes ipsi aliqua superesset, corpus denuò in lectum reponi, ac linteis calidis inuolui, quinetiam tegulas calidas pedibus admoueri iussit. Ori item guttulam vnam aut alteram vini maluatici instillauit. Hinc ille, quem penitus extinctum esse putabant, paulatim quasi ex sopore profundo excitatus, ita restitutus fuit, ut intra spacium vnius mensis negotia sua rusticana obire posset. Porro, quia tum temporis nullis usus fuerat medicamentis, corpusque multis & prauis humoribus scateret, natura sequenti Autumno sese à superfluis illis humoribus in sinistram tibiâ exonerare cœpit. Paulatim itaque in hanc tibiâ humor lentus ac viscosus, qui & post eâ medicamentis cedere noluit, delapsus est.

Historiam hanc à viris fide dignis audieram

nam quidem, hominem verò coràm alloqui
 occasio sese non obtulerat, donec anno 1606.
 die 16. Ianuarij à Reuerendo viro D. NATHA-
 NAELE CHAMVTO, verbi diuini in Gran-
 ges, ministro, Paterniacum mihi adductus
 esset, Tùm præsente Reuerendo viro isto,
 domesticisque meis, Historiam integram, &
 veluti ipsam fideliter hîc conscribo, narra-
 uit. Tibiam quoque vidi, quæ sub genu eius
 est crassitie, vt crus circà coxam naturaliter
 esse deberet, estque dura, & paulò suprà mal-
 leolū exulcerata, absque tamen dolore, Ille ve-
 rò homo robustus est, & nunc sexagesimum
 quartum agens annum. Præterea vigesimo no-
 no anno ætatis suæ, morbo acuto grauissimè se
 laborasse, deinceps verò perquàm raro morbis
 obnoxium fuisse, & ex altera vxore, quæ etiã-
 num superstes est, septem filios, trësque filias
 procreasse, nobis retulit.

EXEMPLVM II.

Anno 1357. cùm pestis apud Colonienses
 grassaretur, & infinitos è medio tolleret, ac-
 cidit, vt nobilis quædam matrona REI-
 CHMVTI ADOLCH nomine, in foro nouo
 habitans, in ædibus cui insigne est Psittacus,
 peste quoque corripere, tandemque (secun-
 dum opinionem adstantium) mortem obiret.

Corpus cùm in cœmiterium diuorum Apo-
 stolorū inhumadum esset, noluit maritus pro-
 pter summum, in defunctam amorem, è digi-
 to suo annulum, quem in signum matrimonij
 ipsi dederat, extrahere. Id quum probè co-

N^o

gnouissent vespillones, sequenti nocte sepulchrum clam accedunt, loculumque effodiunt, aperiuntque. Tum illa, qua pro mortua sepultura tradiderant, se erigere coepit. Vespillones ambo maximo timore perculsi, lucernam relinquunt, eaque qua possunt diligentia inde profugiunt. Illa accepta lucerna, ades mariti petit, pulsat fores: ex voce & annulo a marito recognita, ipsi aperitur, qua postmodum optima victus ratione adhibita paulatim conualuit, tresque deinceps adhuc progenit filios, quos ministerio Ecclesiastico consecrauit. Cum vero per annos multos cum marito pie vixisset, tandemque obdormiuisset, ad ingressum praedicti templi in monumento lapideo, & eleuato inhumata fuit. Ad rei autem memoriam in tabula maxima supra sepulchrum erecta, tota historia eleganter depicta, versibusque Germanicis descripta est. Hancq; tabulam anno 1604. IOANNES BVSSENMACHER, ciuis & mercator Colonienfis in parua forma ex aere, incidi & excudi curauit. Maiorem tabulam ad sepulchrum erectam, multoties Coloniae non sine admiratione inspexi: minorem quoque a BVSSENMACHERO excusam, penes me habeo.

EXEMPLVM III.

„ Anno 1582. Quum vna cum praestantissimo viro D. COSMA SLOIANO, Illustriss. Principis GVILHELMII, Iuliacensium, Cluiensium, Montensium &c. Ducis Cluiam profese-

profectus, apud ciuem quendam, virum pium
ac probum, circiter septuaginta annorum ætat.
in ædibus, cui aquila pro insigni est, spacio
trium mensium diuersaremur, sæpissimè nobis
hospes retulit, se ante annos septendecim,
grauissimo atque acuto morbo correptum,
tandem in illud animi deliquium incidisse, vt
cuncti illum mortuum esse, arbitrarentur.
Aduocatus Vir clarissimus D. DOCTOR IO-
HANNES VVIERVS prædicti Principis Archia-
ter longè celeberrimus, animam à corpore nõ-
dum separatam esse, cognouit. Iussit itaque vt
in lecto calidè cooperiretur: cordi quoque &
in carpo pulsibus Epithemata applicuit, & per
interualla guttulâ vnâ aut alterâ medicamen-
torum corroborantium, linguam irrorauit.
Interim dùm pius iste, & fidelis Medicus cir-
câ ægrum occupatus, & de recuperanda sanita-
te sollicitus esset, adstantes contrâ funus præ-
parabant, & quæ à Medico præscribebantur,
admouebanturque, pro ludibrio habebant, ita
vt alterâ die corpus inhumare vellent: sed co-
natibus ipsorum anteuertit D. D. VVIERVS.
Secunda itaque die ad se rediit æger: postea à
D. D. VVIERO adhibitis tum medicamentis, tum
optimâ victus ratione, paulatim in integrâ sa-
nitatem restitutus fuit.


Hæc, vt dixi, sæpissimè D. SLOTANO, & mi-
hi, multisque aliis præsentibus ipsemet hospes
narravit, erâtque tunc elapsi anni septēdecim,
à quibus hæc acciderant. Ab eo quoque tem-
pore morbis rarò obnoxius fuerat, & infantes
multos ex vxore progenuerat.

Cautè itaque circà eiusmodi ægros agendum est: quùm enim aliquoties nonnullos per plurimos dies sine sensu ac motu fuisse, ex historiis virorum doctorum ac fide dignorum sciamus, crudele ac impium esset, Hominem ad imaginem DEI creatum propter metum pestis, aut alicuius morbi maligni, protinùs, veluti belluam inhumare, atq; hoc esset contra omnem charitatem Christianam, & iustissimam DEI iram ergà integras etiam ciuitates ac nationes incendere atque prouocare.

Prudenter itaque faciunt Magistratus, (vti ego Geneuæ, & in quibusdam aliis locis obseruauit) qui neminem sepeliri permittunt, nisi priùs à quodam viro Artis medicæ perito, & ad hoc negotium destinato, inspecto atque explorato cadauere.

Hæc vir Clarissime ad te scribere libuit, ac simul amicè rogare volui, vt quæ huius exempli argumenta habes (scio autem te habere aliquot) ea in commune bonum familiæ artis Medicæ, communicare non graueris. Vale cum lectissima tua coniuge, totaque familia honestissima, quam ego, & vxor mea salutamus peramanter. Paterniaci Auenticor. 13. Septembr. 1608.

OBSER-



OBSERVATIO XCVI.

De Peste aliisque morbis acutis extinctis
non protinus inhumandos esse histo-
riis quinque ostenditur.

D. GVILHELMO FABRICIO *Hildano apud
Paterniacenses Chirurgo celeberrimo
atque prestantissimo.*

IOHANN. IACOBVS CRAFFTIVS
S. P. D.

Indies re ipsa video, doctissime D. FABRICI, firmiter in animo tuo inherere Cicero-
nis dictum, Non Nobis solum nos natos esse,
verum & Patriæ, Parentibus & Amicis: Patriæ,
Parentibus, quomodo? res ipsa loquitur, & A-
micis; quorum numero & me esse, præter quo-
tidianam exercitationem, industriam, ac labo-
rem, quem mei causa sustines, literis nuperri-
mè ad me datis satis superque testaris. Quibus
doctè demonstras, idque exemplis aliquot cõ-
firmas, Corpora humana non illicò, uti tamen
aliquando, certo quodam tempore, quibusdam
in locis fieri contingit, inhumanda esse. Cui
sententiæ, relictarum multarum rationum, Na-
turæ, mutuaè insuper amicitiaè tam in iisdem,
quàm diuersis speciebus, atque quarundam hi-
storiarum, quas postmodùm allaturus, confi-
deratio, subscribere me cogit. Quo ad Natu-
ram, Cic. in Offic. lib. j. pro me loquitur, dicen-
do; principiò generi animantium omni à natu-

ra tributum esse, ut se vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, ac omnia quæcunque ad viuendum sunt necessaria, inquirat ac paret. Cùm igitur nostra propria longæuitas, & vitæ prolongatio nobis tam recommendata, quid quæso obest, ut non eadem conseruationem in proximum exerceamus! siquidem quod nobis non volumus fieri, alteri ne faciamus, & contra, lex sit, sicuti & imprimis sacra pagina dicitur, diliges proximū tuum perindè atq; te ipsum. Quis nunc sodes est tā rationi alienus imò impius, qui & animā simul cum corpore suo sepeliri cupiat? Lectionē nobis prælegunt beluæ, quæ minimè corpora, eiusdem speciei, suorum proximorum (altercationes hîc omitto) derelinquunt atque deiciunt. exempla non desunt, ac quotidiana obseruatio satis testatur; hæc ista serio cùm obseruāt. Quid Homini faciendum! qui maximè ab istis differt, ut idem Cic. prædicto in loco euidenter distinguit, dùm dicit, hominem & beluam in eo differre, quod hæc tantum, quantum sensu mouetur, ad id solūm quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululūm admodūm sentiēs præteritum aut futurum: homo autem, qui rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earūque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adiungit, atq; annectit futuras, facile totius vitæ cursus videt, ad eandemq; degendā præparat res necessarias. Quod si itaque hæc penitiūs, uti par esset, perpenderentur, non tā varia incommoda

moda in sepeliendis corporibus orirentur, atq; hinc indè fieri audirentur. Et hæc de iisdem: iã in diuersis speciebus intimum amorem inesse, passim leguntur exempla, vtpote de equis, aquilis, ciconiis, elephantis, leonibus, delphinis, & canibus, eorumque quàm plurima. Qui homines & præsertim dominos suos, tam viuos, quàm mortuos, summo perè amârunt: de quibus vnicum hoc lubet annotare, quod memini me olim audiisse, Pyrrhũ Albanæ Regem, quondã cum suo exercitu proficiscendo fortè fortuito canem propè viã reperiisse, qui custodiebat corpus mortuum heri sui, hæc cum admiratione inspiciens, quidam villanus ipsi dixit, tertium iã esse diẽ, quo canis de isto loco nõ secesserit, ipso tamen inscio ibi corpus esse. Rex iussit cadaver sepeliri, & canem tam fidelem domi nutrire. Interim diligenter inquirendo, à quonã illud homicidium cõmissum, sciri non potuit; donec abhinc aliquo tẽpore delectationis gratia totum suum exercitum videre voluerit, an milites benè esset armati ac dispositi: at canis, qui semper tristis & taciturnus erat, tunc fortè Regem sequebatur, & videns præterire homicidam incipit latrare, & quodãmodo in ipsum incurrere, mox inspicere Regẽ, dein recurrere ad homicidã, talẽque gestus gerere, vt Rex & adstãtes mirati, illicò suspicati sint de homicidio, proin militẽ istum in carcerem iniecit, torturã tantũm simplici mox liberè actum confessus, atque tandem supplicio mulctus fuit. Ex his & similibus satis supérque apparet, quò bruta animantia amicitia quadam plus-

*Historia
memora-
bilis de fi-
do cane.*

quam quasi naturali commiseratione ducatur, eò magis hominem duci debere, & non tam subito suum simile seponere atque obliuisci.

Tandem & maioris probationis gratia accedo recensere, idque breuissimè, quasdam (vti à te rogatus) historias, quæ sinistrè acciderunt.

HISTORIA I.

Prima est de quadam muliere, quæ tempore pestis viua cum aliis mortuis sepulta fuit, tamen postmodum diu adhuc cum marito suo superuixit: quantum scire potui, communicare non grauabor.

Agitur annus quinquagesimus, vel circiter, quòd pestis sæuissimè grassabatur per totam Burgundiam, præsertim Diuioduni, ita vt vespillones in sepeliendis mortuis tam occupati fuerint, vt cuilibet peculiare sepulchrum facere nequiverint, verùm foueam quandam communem, sicuti communiter solet fieri in eiusmodi luis sæuitia, fodere coacti, in quam aliquot corpora iniicere possent. Id quod accidit cuidam mulieri nomine Dame NICOLE LENLILLET, quæ tum temporis peste quoque per aliquot dies laborans, subito in *ἐκστασι*, seu potius, vt persæpe in hac lue cõtingit, in *συκοπνί* incidit, qua aliquandiu detenta mortuam esse iudicabant, ideò sub vesperam à vespillonibus in fossam communem cum aliis sepeliebatur: eiusmodi enim corpora mortua non diu retinentur, quia citissimè putrescunt, vt sic alios inficere possent, nisi quamprimùm terræ commendarentur, vt plerunque in tali luis furore
vbique

ubique fieri solet. Quæ ibi per totâ noctem iacens sub aurorâ ad sese rediit, animûmq; collegit, nesciens tamen, quonam in loco esset, neq; egredi potens propter debilitatem, & pondus aliorum corporum mortuorû ac terre, clamare incepit, sed quoniam longè ab hominibus distabat iste locus, neq; vllus propter foetorem & timorem illuc appropinquabat, exaudiri non potuit; quæ tamen interim maxime esurit, siquidem spacio quatuor dierum, neq; cibû, neq; potû assumpserit, ad compescendâ aliquo modo famè, portionè pepi sui, quo facies eius oblecta erat, rodit atq; comedit. Tandem post viginti quatuor horas, & alia corpora à libitinariis inhumanda eundem in locum afferuntur, qui dum strepitum quendam suscitabant, illa istum percipit, & tandiu vociferatur, donec ab aliis exaudiebatur; qui maximè obstupesci, intentiùs auscultant, & vocem humanam esse percipiunt, idè illic ipsam effodiunt, & renuiscere videntes domum suam apportant, ubi mox conualuit, & adhuc per aliquot annos Diuioduni degit. Postmodùm propter ortam religionis dissensionem Laufannam se contulit, & illic adhuc diu feliciter cum suo marito vixit: ac tantummodo ante quatuor, vel vt plurimum quinque annos placidè in Domino obdormiuit. Hunc casum ipsamet sepius suis commensalibus enarrauit, ex quorum numero est (vti mihi retulerunt) Prudentissimus atque Consultissimus vir D. Cancellarius huius Comitatus, Compater meus, & frater ipsius Germanus IONAS, HORICÆI, ac

Cc

Reuerendus D. BERNHARDVS GELIVS iunior, verbi DEI minister Vallanginensis, compater quoque meus honorandus.

Planè similem historiam accidisse Lipsiæ, à viro quodam fide digno, mihi que familiarissimo, accepi.

HISTORIA II.

II. Nec admodum dissimilis ante aliquot annos hîc propè urbem in quodâ pago *Corseille* dicto visa, vbi vir quidam syncope aliquândiu correptus in linteum (eo enim tempore fere trum nondum erat in vsu) consuebatur, & cum ad sepulchrum apportatus, & iam iam sepeliendus esset, humeros mouit, quod cum adstantes vidissent, statim exsuebant, & domum ferebāt: atque diu postmodum superuixit, & plerunque post à vulgo vocatus fuit, *Mors de Corseille*. Hoc audiri ab istis, qui personam illam viderunt & cognouerunt.

HISTORIA III.

III. Narravit D. Iohannes Gaudotus mercator & ciuis Neocomensis, se sæpissimè audiisse Bizantijs à viris fide dignis sequentem historiam, verè ante quadraginta circiter annos accidisse.

Doctore quendâ Iuris adhuc iuuenem fuisse à Vezoul, oppidulo non longè distante Bizantijs, qui lethargo laborauit, & satis diu in eiusmodi paroxysmo, nemine tamè præsentem, permansit. hoc de se sciens, separatim in quadâ domo peculiari vnà cum seruo à pedibus. ne diulgaretur, voluit degere, & cum sentiret paroxysmum

tyſmum aduenire, ſeſe in ſuum muſæolum
incluſit, ita vt ne ſeruus quidem quicquã perci-
pere potuerit, & ſolùm eam ob cauſam id reti-
cebat, ne diffamaretur, atque quiſpiam in iam
contracturo matrimonio obſtaculum ſibi af-
ferret. Verùm ne quid ſiniſtrè ipſi accideret, ità
totaliter illud tenebris committere conſultum
non iudicauit, ideò prætoſem eius loci D. Mo-
DOVAM, quem plerunq; propter negotia publi-
ca domi manſurum exiſtimãſ, facillimè, ſi quid
noui in vrbe contingeret, audire poſſe, acceſſit,
& ſeriò precatus, vt illud quod ipſi dicturus
nemini reuelare; hiſce promiſſis, Doctõr inci-
pit enarrare, quomodo tali ac tali morbo ſub-
iectus, & aliquandiu, tanquam mortuus iaceat,
& ſic reperiri poſſet, ne igitur intrà diem natu-
ralem ſepeliatur, impedire vellet. Interim nu-
pſit, & diù poſt idem caſus ipſi contingit, quo-
dam in die, quo prætor in villam ſuam pro-
fectus, ibique pernoctauit, vxor autem, quæ
planè nihil de hoc caſu, ſicuti nullus paren-
tum ſciuit, putans maritum ſuum mortuum
eſſe, omnia præparabantur ad iam iam ipſum
ſepeliendum. Quod cùm prætor fortè fortuito
donium reuerſus audiens, & reminiſcens
promiſſorum, ſubito ad ædes accedit, pe-
titque ab adſtantibus, qua horâ inciderit
in hunc paroxyſmum, reſpondebatur ei,
heri ſub vesperam. Tunc ipſe retardan-
do ſepulturam, Doctõr paulò poſt reuiui-
ſcere incipit, atque ab hinc 16. demum anno-
rum obiit.

HISTORIA IV.

IV. Idem GAYDOTVS mihi retulit se à matre sua aliquoties audiuisse recitare hanc historiã, quę contigit à Verzel, locus in Burgũdia, quod cum quidã pro mortuo in Ecclesiã iã apportatus, aliquãdiu ibi, sicut fieri solet, antequã inhumebatur in feretro fuerit, aliquis ex parentib. aquam benedictam in faciem, quę non obteãta erat, insperfit, ipse expauescens oculos aperuit, inde domum relatus, mox ad sese rediit, ac deinceps circiter octo annos superuixit.

HISTORIA V.

V. Aliam similem historiam fertur contigisse ante aliquot annos in hoc Comitatu, de D. IACOBO VAVRA tũm temporis Castellano Burdiacensi, qui quoniam aliquandiũ Cardialgia laborauit, aduocãrunt Medicum Friburgẽsem, at interim ægrotus paulò ante ipsius aduẽtum in syncopem incidit, & cũ Medicus appulerit, proximi eius accurrunt dicentes, quòd è viuis discesserit, & mox tumulo mandandus, ipse nihil aliud respondit, nisi siquidẽ adsit, vt corpus ei ostendatur, antequã in sepulchrum inferatur, id quod factum, & cũ penitiũs faciem inspexerit, dixit, se non existimare ipsum mortuum esse, itaq; parum pulueris piperis & illum in nares inflauit, de quo sternutatio excitata, conualuit, & postmodum feliciter adhuc diũ suo officio functus.

Et hactenũs de Historiis eorum, qui è viuis resurrexerunt, & diu superuixerunt, pos-

possent & aliæ multæ afferri, quibus ostenderetur, quædam corpora quidem nondum omninò mortua, sepulta fuisse, verùm vel quod propter pondus, vel distantiam loci, vel spissitudinem tumbæ egredi seu exaudiri non poterint, coacta fuerint vitam cum morte commutare: vt relictis multis aliis, vnica hacce confirmatur, quam Augustæ-Vindelicorum ipsemet à viris fide dignis ibi audiui recensere. Matronam olim quandam honestam ex familia patritia ortam suffocatione vteri laborasse, quæ pro mortua habita, cum omnium incestitia more solito, in tumbam concameratam sub templo eius familiæ peculiarē ac propriam super sessibulum fuit posita, & tùm magno lapide ostiũ monumenti clauserunt. Post annum vnum aut alterum alius ex eadem familia moritur, qui in eundem locum ponēdus, lapis ab ostio reuoluitur, & matrona ista suprà gradus propè ostiũ mortua, sine digitis in dextra manu inuenitur, vndè iudicabatur maximè credendũ, illam tunc temporis verè non fuisse mortuam, & cùm ad sese redierit exitum hinc inde quidē querēdo, tãdem hosce gradus reperisse, tamē lapidē dimouere & clamādo exaudiri nō potuit, atq. vt suprà etiã ostēdimus, digitos suos ad famē palliandã edere, sicq. eo in loco inclusa miserè vitã suam finire coacta fuit.

Haud absimilem euenisse Bizantij historiam socrus mea, quæ indè orta, attestatur persæpè auribus accepisse commemorare.

Ex quibus omnib. euidentissimè patet, corpora siue VERE mortua, siue FERE mortua, non

ante diem naturalem esse terrâ obruenda.

At vela contrahendo, hæc sunt mi Domine
FABRICI, quæ pro tempore tecum scriptis cõ-
 mutare lubuit, vt omnia in meliorem partem in-
 terpreteris, obnixè rogo. Vale cum lectissima
 tua coniuge, Datum Neocomi viii. Calend. O.
 &ob. Anno DISCAMVS Inania seponere.

Supra Cent. i.
 obs. 96.

^{Obs. 97}
SEBASTIANVS MEYERVS.
 Med.D. Reipub. Fryburg. Phy-
 sicus Ordinarius.

*Viro præcellenti D. GVILHELMO FABRICIO
 HILD. Medico præstantissimo, Paternia-
 censi Chæirurgo Ordinario, Domino*

Amico obseruando,

S. P. D.

ET Obseruationes tuæ solertissime (quarum
 priores, te nõdũ viso, in Alsatia tũ tẽporis
 Cæsar. Ma. apud Curiã Enfishemianã Physic^{us},
 cupidè mihi cõparauit, recẽtiores autẽ numero
 Centũ mihi dono, & quidẽ gratissimo, misisti)
 & coràm hĩc Fryburgi sæpius iam perspecta in
 arte Medica exercenda singularis industria, &
 excolendã studium, vt creberrimè tecum rebus
 de Medicis agam, me impellunt, ac nunc qui-
 dem per literas, quandoquidem rarior nobis
 conueniendi facultas conceditur. Id autem nec
 ingratum tibi, nec inutile nostrum vtrique fo-
 re existimo. Cũ igitur diebus hisce ad puerũ
 à cane rabido morsum, accitus fuerim, ex Ob-
 seruat. tua 87. sumo materiem.

Cu-

Curasti (omnem citrà controuersiam) adollescentem illum Paterniacens. V Villometum, ex intima methòdo & arte, proindèq; foelicissimè. Adhibuisti scarificationem, vstionem, atrahentia, alexipharmaca.

I. At Galenus noster II. simplic. Aeschrionè Præceptorem suum memorat, omnes (qui quidem eo vsti fuerint) à cane rabido morsos, hisce tantùm duobus curasse remediis, exhibito scilicet cancrorum cinere, & emplastro ex pice, opoponace, & aceto imposito, nec vllam mentionem incisionis, aut vstionis facit. Quod argumento esse potest hæc duo remedia in affectu isto fore superuacanea. Hoc primum.


II. Cùm vstio (vt Fernelianis vtar verbis) cædente ferro, virus omne domet & absumat, & in membra insinuari minimè patiat, hac quoque ratione incisio nequaquam requiri videtur.

III. Quòd si tamen incisio quædam omnino necessaria iudicetur, cur non ea præfertur, qua Galenus ad Pisonem vtitur? qui vulnus maius ilicò facit, carnem circumquaque auferens, & ad rotunditatem redigens.

IV. Cùm authore Galeno, fluuiatiliũ cancrorum (quorum loco non rectè videntur quidam vti gammaris) cinis, substantiæ proprietate mirabilis sit in hoc affectu, præferendusne cõmunibus illis, & vniuersalibus Alexipharmacis, Theriace, Cornu ceruino, Bezoari? Hæc mihi, de quibus conferre tecùm hoc tempore occurrerant.

Ac planè perspicere te arbitror, quonam animo hancce tecum exercitationem suscipiã. Cupio ingenium meum (quod quàm sit exiguũ sentio) excitare, & ad ingenij tui perspicacissimi tanquàm cotem acuere, nec pigebit me, vel ad extremum vsque spiritum proficere.

Quòd si rationem istam conferendi approbaueris, bonique consulueris, nec inuitus ad proposita responderis, & amicitiam nostram vehemèter corroborabis, & illustrabis Observationes tuas, & me ad paria faciendum, si poterò, obligabis. Sin tardiozem te in respondendo exhibueris, caue ne breui importunum in ædibus tuis Paterniaci hospitem & exactorem sentias. Aegrius autem, vt nosti, eiicitur, quàm non admittitur hospes. Vale vir præstantissime. Fryburgi Noithonum. Calend. Octobr. 1606.



OBSERVATIO XCVII.

Guilhelmi Fabricij Hildani, ad dubia nonnulla, in curatione morfus canis rabidi,

A

Clarissimo atque doctissimo viro D. SEBASTIANO MEYERO, Reipub. Freyburgensis Auenticor. Doctore Medico ordinario atque celeberrimo, proposita, Responsio.

Quam

QVam de prolapsis in scrotum intestinis vir clarissime, & amice plurimum honorande, à me expectasti Observationē, per nobilem virum Dominum de GLARESE, qui me in transitu hīc inuiserat, ad te misi, teque iā dudum illam accepisse confido. Nunc verò ad ea, quæ ex Observat. mea 87. Centurię primę proposuisti dubia, respondere tempestiuum est.

Quantum itaque ad primam obiectionem, *Responsio ad primā obiectionē.*
 Galenum fluuiatilibus cancris cōbustis, thure & radicum gentianæ admixto puluere, morsus canis rabidi, feliciter curasse, in dubiū vocare hætenus nemo ausus fuit, cum & idem Dioscorides, Aëtius, Auicenna, & quamplurimi alij tum antiquiores, tum neoterici, hoc remedij genus præ aliis antidotis in hoc affectu extollat. Ego verò partim, quia huius remedij nullā habeo experientiam, partim quoq; quia cācri isti fluuiatiles, quorū Dioscorides & Galenus meminere, apud nos in hisce regionibus, & nō nisi in Syria, Sicilia, Romæ, aliisq. quibusdā Italiæ locis, inueniantur, vsum eorum præscribere nolui, ne forsā aliquis, cui scuitia huius veneni nō satis cognita, huic remedij generi tātūm fideret, vt interim aliis remedijis neglectis, æger periclitaretur. Quāuis enim de effectibus cancrorū fluuiatiliū nō dubitemus, in his tamē nō exigua occurrit difficultas, nimirū an ex longinquis regionibus cancrorū fluuiatilium, an verò eorum loco, marinorum cineres, quorum effectus non æquē, ac fluuiatilium laudatur, item an eorum cineres recentes, an exoleti ad nos perueniant.

At quia morsus canis rabidi inter morbos maximos meritò numeratur, quis ambiget, maximū hoc, & à tot sæculis in hoc affectu laudatissimum & approbatissimum remedium, nimirum ferrum candens potiùs, quàm remediū cui spes est dubia, adhibendum esse? Tāta enim ferri candentis vis est in hoc affectu, vt hoc solo, morsus rabidorum animalium, nullis aliis adhibitis alexipharmacis (quod tamē nō probo) empiricum quēdam curasse, obseruauerim. Est itaque cauterium actuale, meo quidem iudicio in hoc, aliisque quamplurimis affectibus extremum remedium atque præsidium, non tamen ea, quā vulgus intelligit extremitate, sed extremitate virtutis atque bonitatis. Id tamen notandum est, nimirum nisi satis profūdē impressū fuerit, virus omne nō penitus absumere posse, & frustra adhiberi, vt Obseruat. 87. annotauimus. Si itaque inustio ferri candentis nō satis profunda facta, virus hocce domare non possit, quis quæso de cancrorum cineribus ex longinquis regionibus allatis, non dubitaret? Si verò ego ipsemet caneros fluuiatiles viuos habere, eosq. præparare possem, tunc talis apud me valeret Dioscoridis & Galeni authoritas, vt hoc ab ipsis præscriptum remedium applicare, nō denegarem. Hæc ad primam Obiectionem.

Quomodo Cauterium in morsu canis rabidi sit extremum remedium. Verissima sunt quæ ex Fernelio citas verba, ferrum videlicet candens, virus omne domare & absumere. Sed quia portio aliqua ipsius virus in crusta, ex combustione facta, facile remanere possit, necesse esse, ad maiorem securitatem, vt crusta ista excindatur, existimo. Vnctuosam enim,

Responsio ad secundam obiectionem.

enim, & escharam relaxantia, in huiusmodi affectibus mihi semper suspecta fuere, vt Obser. 87. Centur. 1. monuimus. Est autem primâ aut secunda die blandè separâda, atque excidenda, ne dum à pure humectatur, essentia & vis veneni, in crusta contenta, per venas capillares, maiora vasa, & per ea, partes nobiles impetat, corpûsque totum intoxicet. Vides itaque vir Clariss. incisionem, cuius ego in præallegata Observatione 87. memini, plus quàm necessariam esse.

Galenî, lib. de Theriaca ad Pisonẽ, incidendi modus mihi non improbatur, sed ille tũ nõ vtitur cauterio actuali, carnẽ verò profundè & orbiculatim excidit, vt vulnus diutius apertum retineri possit. Cũ verò loquitur de inustione ferri candentis, tunc incisionis carnis nullã facit mentionem. At ego de excisione Escharæ loquutus eram : ea, quàm sit necessaria, ex iis, quæ dicta sunt, colligere licet.

Ad quartam tuam & vltimã respondeo obiectionem, medicamentum ex cancris fluuiatilibus communibus & vniuersalibus alexipharmacis, meo quidẽ iudicio, maximo cum fructu præferendum quidem esse, substantiæ enim proprietate (vt Galenî vtar verbis) mirabilis est eius, in iis, qui à cane rabido morfi sunt, effectus, sed quia, vt antè monui, câcri isti apud nos minimè habeantur, ad ea, quæ habere possumus alexipharmaca, vt confugiamus, necesse est. Inter quæ reuera lapis Bezoardicus infimum locum non obtinet, tũ vulneri inspersus, tũ etiam thuris, radicum gentianæ, & gammaro-

*Responsio
ad tertiam
Obiectionem.*

*Responsio
ad quartã
Obiectionem.*

rum nostrorum pulvere per os exhibitus. Theriaca præterea, teste Galeno, non exiguam vim obtinet, vulnere enim imposita, cucurbitulæ instar, venenum exugit, & virus ab alto extrahit, estque mihi frequens eius vsus in huiusmodi affectibus, vt Excell. T. in quadam curatione sceminae Paterniacensis, ante annos duos, à cane rabido morsæ, & à me DEI beneficio curatæ, posthac fusiùs declarabo, cum nunc propter temporis angustiam mihi non liceat.

Hæc sunt vir Clarissime, quæ ad doctissimas tuas obiectiones, in præsens respondere potui. Quibus si præter tuam expectationem non omninò satisfecerim, pro solita humanitate, atque benevolentia in me tua, vt tenuitatis ingenij mei ignoscere velis, etiam atque etiam rogo. Vale vir Clariss. & amice optime cum dulcissima tua coniuge, quam tecum, ego & COLINÆ TEA mea charissima peramanter salutamus. Adventum tuum posthac indies expectamus, & sedulò exoptamus, vide igitur ne promissionem tuam diutiùs differas. Paterniaci Auenticorum 3. Februarij. 1607.

SEBA-

SEBASTIANI MEYERI MEDIC.
Doct. & Reip. Freib. Heluetior. Phy-
fici ordinarij,

*Ad Curationem de morfu canis rabidi,
una cum
Remedio memorabili,*

Ad


GVILHELMVM FABRICIVM HILDANVM
Medicum Præstantissimum,

Responsio.

EPistolâ tuâ vir Præstantissime, eximium Galenicum, vti superiore de prolapsis intestinis maximè Hippocraticum, te præstas, nõ tantùm citando (cum aliis quoque summis Medicinæ authoribus) Galenum, verùm etiam industriè interpretando. Prudenter de cineribus cancrorum fluuiatilium exoticis dubitas, iisque certius vstionis remediũ in curando morfu canis rabidi, anteponis. Ratio item & causa excisionis escharæ, solertiæ in curando tuæ testis, arridet. Nec non perplacent alexipharmaca ad morsum canis rabidi lectissima, abs te commemorata. Gratias nomine rei Medicæ, de qua tam benè mereris, habeo, vtque obseruare, quæ tanti ad humanam salutem momenti sunt, eaque mandare literis, ne desistas vquam, horror iterùm. Vnicum saltem adhuc, quod ad curationem morsus istius magis enucleandam spectare videtur, libens propositu-

RUS. IULIUS PALMARIUS CONSTANTINVS;
 Medicus Parisiēsis, FERNELII discipulus lib.
 de morfu canis rabidi, Alexipharmacum tra-
 dit, quod solum, neglectis aliis remediis, imò
 & victus ratione, quocunque à morfu tempore
 vsurpetur, certissimū ac tutissimū existat, vt quo
 nullum vnquam animal vsūm viderit, quod nō
 tā atrocis morbi periculum euitarit, quacunq;
 vteretur victus ratione. Recipit autem Alexi-
 pharmacum id: Foliorum rutæ, verbenæ, saluie
 minoris, plantaginis, foliorū polypodij, absyn-
 thij vulgaris, menthæ artemisiæ, melissophylli,
 betonice, hyperici, cętaurij minoris singulorū
 æquale pondus. Semidrachmam pulueris de-
 morfis quotidie præbere iubet, & sesquidrach-
 mam, aut drachmas duas satis fore, tūm homi-
 ni, tūm omni animali, quantumuis crudeliter
 fauciato, censet. Quid de hoc Alexipharmaco
 statuas, scire aueo. Vale vir præstantissime, me-
 que quod facis, ama. Fryburgi Auenticor. Ca-
 lend. Martij. 1607.

*Remediū
 memorabi-
 le ad mor-
 sum canis
 rabidi.*



OBSERVATIO XC VIII.

Guilhelmi Fabricij Hildani, De morfu
 canis rabidi.

Ad

*Clarissimum atque doctissimum virum D. SE-
 BASTIANVM MEYERVM, Reipub. Frybur-
 gensis Helueticor. Doctorem Medi-
 cum ordinarium.*

Difficilis pro ingenij mei tenuitate, vir
 Clarif-

Clarissime, & amice plurimum honorande, est
 nodus, quem mihi soluendum proponis. Etsi e-
 nim medicamentū Clarissimi viri D. PALMA-
 RI CONTRA morsum canis rabidi non improbē,
 vi & ingrediētia omnia venena debellare pos-
 se, minimē dubitem: in graui tamen hocce &
 periculosissimo morbo, vt qui eo medicamēto
 nunquā vsus fuerim, certi quid affirmare nō au-
 deo: quin potius pręsidia, quę à tot viris pręcla-
 ris, & tot seculis comprobata, ac celebrata fuē-
 re, eligam. Deindē quomodo remediū hoc in
 tam exigua quātitate, & tā per paucos dies sum-
 ptum, venenum eiusmodi lethiferum, vt & in-
 terdum humano corpori adeō tenaciter ac diū
 inhaerens, expellere & vincere posse, nō video.
 Scimus quidem ex Galeno lib. 2. de Antidot. &
 lib. 11. de simplic. med. fac. Cratippū & Āscrio-
 nem remedium ex cācris fluuiatilibus per qua-
 draginta dies exhibuisse. An putas idem quoq;
 in hoc remedio obseruandum esse? Neque pla-
 cet, quod victus rationem tam parui faciat. Sed
 quia forsan D. PALMARIUS remediū huius sin-
 gularem aliquam habuit experientiam, subsi-
 stam: & quam de morsu canis rabidi T. Excell.
 aliās me communicaturum promisi historiam,
 aggrediar, paucisque referam.

Anno 1604. die 10. Nouemb. Matrona quæ-
 dam honesta Paterniacēsis, quinquagenaria, v-
 xorq; PETRI DENISII, à cane suo domestico
 ac rabioso quatuor diuersis in locis morfa fuit.
 Primò quidē in dextræ manus digiti medij di-
 cti, tribus locis diuersis, quorū morsuum vul-
 nera duo ex vna ferē digiti parte in alteram pe-

*Prima hi-
 storia de
 morsu ca-
 nis rabidi*

netrabant. Deindè quoque suprà cubitum in musculo bicipiti. Vndè meo consilio vsa, modo sequenti processu.

Primùm vulnera phlebotomo aliquantum scarificavi, quò sanguis effluere posset, quùm à vulneribus acceptis nihil eius effluxisset. Deinde brachium, ac manus vndique sequenti lotionè abluì.

℞ aceti acerrimi ℥ s.

Ablutio.

falis marini subtiliss. puluerisati ℥ij.
theriacæ ℥ s. Misce.

Posteà cauterio actuali vulneribus cauterizatis, gossipium spiritu vini, in quo theriaca dissoluta, madefactum, imposui, & sequenti Emplastro totum digitum inuolui, idèmq; brachio quoque applicui.

℞ cæparum sub prunis aliquantum coctar.
pulueris sem. sinapi

Emplastrū

falis marini

fermenti acris an. ℥j.

fol. rutæ

scordij an. ℥ s.

theriacæ opt. ℥ s.

Misceantur, & cum s. q. mellis in formam vnguenti diligenter incorporentur.

Alterâ die escharas sequenti hamulo apprehensas, separatorio blandè excidi, idq; in eum finem, ne ferofus aliquis humor ibi detentus ab eschara malignitatem aliquam acquireret.

Hamulus.

Hamulus. Culcellus separatorius.



Dd

Escharis separatis, gossipium sequenti liquore
re madefactum, bis in die vulneribus imposui.
Emplastrumque præscriptum applicui.

℞ spiritus vini optimè rectific. ℥ij.
succu rutæ ℥j.

extracti scordij
theriacæ an. ℥ij.

cornu cerui vsti & præpar. ℥j.

lapidis bezoard. ℥j. Misce.

Circà diem septimam dolor in digito læso
adèò auctus erat, vt ad alia remedia recurrere
necesse esset. Cuius nomine vlceribus balsamum
abietinum calidè instillavi, totumq; brachium
sequenti oleo inunxi.

℞ ol. lumbricor.

ol. è floribus D. Cos. Slotani an ℥j.

spiritus vini ℥ij.

theriacæ ℥j. Misce.

Totam verò manum sequenti Cataplasma-
te inuolui.

Cataplasma.

℞ farinae hordei ℥iij.

sem. cydonior. puluer. ℥ss.

Coquantur in aqua cum admixto pauillo
ol. lumbricor. Postea adde,

pulueris flor. chamomel.

meliloti an. ℥j.

Misce, Fiat Cataplasma, addèdo sub finem cro-
ci ℥ss. vitellor. ouorum No. ij.

Vlceri ad cubitum, quia dolor nullus aderat,
gossipium madefactum, & emplastrum ex cœ-
pis, vt suprà, apposui.

Antequàm autem vltèrius progrediar, no-
tandum conuenit, tantùm abfuisse, vt feruens
oleum

oleum vlceribus instillatum, dolore excitauerit, quin potius ad eò ab eo refocillata atque recreata agra, vt vix calidè satis istud instillare potuerim. Guttulas itaque aliquot, cochleari ferreo exili infusas, ad candelæ flammam vsque dum ebulliret, calefeci, vlceribusque protinus ita calidè infudi. Cochleare autem vt paruum sit, necesse est, ex magno enim difficulter oleum feruens vlceri infunditur, plùs quoque, quàm vlcus, capere potest, cochleari infundere non conuenit, ne forsàn pars aliqua effluat, & adiacentem cutem adurat.

Nota.

Hisce remediis adhibitis, dolor paulatim, & quidem ante vndecimum diem morbi remisit. Deinde rursus gossipium madefactum liquore prescripto, nonnunquam quoque Mundificatiuum nostrum ad vlcera maligna imposui, & emplastrum ex capis applicui.

Porro quam necessarium sit vlcera huiusmodi ad multos quoque dies, aperta seruare, experientia docet: Ex intempestua enim cicatricis inductione, nonnullos hydrophobia correptos fuisse, ego ipsemet aliquoties vidi. Cuiusmodi quoque exempla apud FORESTVM lib. 10. Observat. 27. Dodonæum in suis Observat. cap. 12. habentur. Ne igitur ægra, (vt sic mihi liceat loqui) incideret in Scyllam, (vt ego cuperem vitare Charybdin, die 26. mensis predicti, vlceribus cicatrizationi proximis nihil cauterij nostri potentialis applicui, ad casum tamen escharæ pingua nulla, sed de mundificatiuo nostro imposui: vinctuosa namque, atque escharâ relaxantia, mihi semper suspecta fuisse, Observat. 87. Centur. 1. annotaui. Post casum Escharæ, vlcera, vt aperta retinerem, omnem curam atque diligentiam adhibui. Itaque nunc pisces (vt in fonticulis fieri solet) nunc spongiis præparatis impositis, ipsa ad menses ferè tres aperta retinui. Interim quoque modo gossipium superiori liquore madefactum, aut mundificatiuum nostrum ad vlcera maligna indidi, modò quoque sequentem puluerem insperfi.

Puluis.

℞ puluer. angelici opt. rectificati
puluer. radic. angelicæ

lapi-

lapidis bezoardici ana partes æquales.

Misce.

Tandem intermissâ applicatione spongiarû,
& pisorum, vlcera, insperfo supradicto puluere
paulatim ad cicatricē, elapso ferè tertio mense,
perduximus. Totum autem tempus, dum hæc
externa remedia adhiberētur, inò & aliquãdiu
post absolutâ curationem, optimam præscripsi-
mus victus rationem, & vt à falsis omnib. acri-
bus & muriâ asseruatis, fumóq; exiccatis, vti &
ab ijs, quæ vtramq; bilem procreât, abstineret,
imperauimus. Singulis item ferè diebus, tribus
horis ante prandium drachmam vnam pulue-
ris sequentis ex iusculo, aut vino albo sumpsit.

℞ puluer. gammaror. nostrorum in
cliba no exiccatorum, ʒx.

pulu. radic. gentianæ ʒv.

olibani ʒj. Misce.

Hic multò præstatiorens fuisse caneros fluuia-
tiles, quorû Dioscorides & Galenus meminē-
re, certum est, sed quia apud nos non reperiun-
tur, gammaros nostros eligere coactus fui.

Porro antequàm huic Epistolæ finem impo-
nã, ea, quæ annotatione digna, minimè reticē-
da duxi: nimirum ægrã ipsam, quintã, nonã, vn-
decimã, decimaquartã, & vigesimã primã die
morbi, agitationibus inuoluntariis & cõuulsi-
uis totius corporis, febrilium horrorû instar, i-
maginationibus deprauatis, pauoribúsq; melã-
cholicorum similibus, correptã fuisse. Hæc ta-
men symptomata à vigesima prima die vsque
ad quadragesimam morbi, per interualla, sed
rarissimè, eam molestare non cessabant.

Dd iij

Alius p
uis.

Post menses duos à morſu canis rabidi, cùm quadam die illam in ſuburbio inuiſerem, pauoribus & imaginationibus melancholicis cum toti^o corporis agitatione correptâ, offēdi. Ego itaque, quia aliud nihil tùm tēporis eo loci ad manus eſſet, rutæ manipulum ſūpſi, contudi, & pauxillū vini ſuperinfuſo, ſuccū expreſſi, eumq. calidè propinaui, hinc acceſſio paulatim remiſſit. Sequenti dein die, puluerē præſcriptum ex gammaris in duplo exhibui. Vulnera quoque denuò cauterio potenciali, piſis ſpongiisq. dilatavi, & ad finem tertij menſis aperta retinui. Sic Diuino fauore conualuit, & ad hunc uſque annum 1608. quo hæc ad te ſcribo, bellè ſe habuit, nec vnquàm præcedentis mali veſtigium vllum perſenſit. Maritus huius ſceminæ, ab eodem cane in crus dextrum morſus, die 12. eiufdem menſis ad me venit. Morſus tamen cutem non penetrârat, ſed quia liuida & nigra, poſtquàm totum crus ablui, ne forſan ſaliua (id quod facilè, vt Galenus & experientia teſtantur, fieri poteſt) noxâ aliquâ inferret, quicquid liuidum apparebat, phlebotomo ſcarificauī, poſtea cauterium actuale adhibui, leuiter tamen, & eadem methodo, vt in ſceminâ, proceſſi. Hic tamen paruo cum negotio curatus fuit, & ſimiliter ad hunc uſque diem benè ſe habet.

*Secunda
Historia
de morſu
canis rabidi.*

*Tertia Hi-
ſtoria de
morſu ca-
nis rabidi.*

Anno 1606. puella 8. annor. ætatis, filia IOAN-
NAE MAILLI Paterniacenſis ad finiftrum mal-
leolum internum pedis à cane rabido morſa,
mihi adducta fuit. Tùm tibiâ ablutâ, morſum
ſcarificauī, cauteriū actuale applicui, reliquaq.
medi-

medicamenta, superius recitata, adhibui, vulnus
 per menses tres hians detinui, totamque cu-
 rationem præsentè D. EMAN. VRSTISIO, Art.
 liberal. Magistro, foeliciter absolui. Hæc
 quoque hucusque optimâ fruitur sanitate.
 Habes hîc viri Clarissime breuibus curatio-
 nis illius Matronæ narrationem atque Histo-
 riam, quæ si arriserit, est quòd læter, sin minus,
 tarditati ingenij mei concedas. Vale cum ho-
 nestissima coniuge, quam tecum ego, & C O-
 LINA ET EA mea charissima, demissè sa-
 lutamus. Paterniaci Auenticor. 9. Martij.

SEBASTIANI MEYERI
 M. D. D.

De morfu Canis rabidi,

Ad Nobilem Chirurgum, & Medicum

D. GUILHELMVM FABRICIVM HILDANVM

Paterniacensem Medicum ordinarium,

Responsio.

Observationem tuam, vir excellentissime,
 amice imprimis colende, de morfu canis
 rabidi, in matrona Paterniacensi, philiatris o-
 mnibus obseruandam, accepi, ac legi, cum vo-
 luptate non exiguâ. Idea est profectò, iustæ,
 veræ, legitimeque curationis contagiosi ac pe-
 stiferi affectus huius, quam omnes sibi, qui sco-
 pos medicos collineare dextrè capiunt, imitâ-
 dam in medendo proponere debeant. Prior

D d iij

enim scopus huiusce curationis ac præcipuus est, veneni illius, recens infixi, ac etiamnum in extimis partibus delitescens (neque enim quod iam altius penetrauit, inseditque visceribus, reuocari possit) partem consumere, ac ut ita dicam, annihilare, partem educere penitus, & euacuare.

*Extirpatio
veneni.*

Quem quidem scopum assequeris præclare, dum scarificando, veneni portionem aliam profundis vnà cum sanguine, (ybi non dubito, quin, vti V Villometo quoque Obseruat. 87. Cent. I. feceras, cucurbitulam etiam, bene inflammata, quo plus sanguinis extraheretur, bicipiti musculo apposueris) aliam domas, & extinguis ferro candenti, aliam vlcere, nec non valenter attrahentibus proleatas, & exhauris.

*Absterse
partis.*

In eo autem prouidentia tua atque solertia elucet singularis, quòd locos circum diligenter abstergis, si quid fortè saliuæ caninæ desiccatae, vel spumæ, alicubi se abdidisset, id quod perpauca curæ haberi existimo. Te verò Galeni callentissimum ex 6. de locis affectis non fugit, vel solum sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem concitare posse. Vidit duos MATTHAEOLVS, qui spuma tantum perfusi, nullo quidem ex morfu accepto vulnere, rabiem contraxerunt. MATTHAEVS DE GRAD. conf. 82. magnifici cuiusdam domini meminuit, Iohannis Coquerani, post multos dies infecti rabie, solâ impositione manus in os rabiensis carnis, etsi cum canis nequaquam momordisset,

disset, Vt imitatione tui, maxima ratio habenda sit humoris, à cane quaquâ parte suffusi.

Vt verò quamprimum virulentæ materiae pateat exitus, neque diutius inclusa maneat, aut alia noua succrescat, postero statim die, escharam, cultello & hamulo, ingeniosè (vt soles) inuentis, remoues, nullis vsurpatis vnctuosiss& pinguibus, ratione illâ, sanè probabili, (adducta in I. Centuria) quòd huiusmodi exhalationem euaporationemq. veneni prohibeant. Neque timendum hîc, quod in aliis est, ne, defectu lenientium, ad vlcus fluxio, aut phlegmone, ratione doloris feratur, quia potius iubet Dioscorides, vt sordidum sit, ac continuò inflammationem minari videatur. Si enim humores impetu ad vlcus ferrêtur, vnâ extrorsû veneni portio raperetur, eiusq; ad interiora motus impediretur.

*Remotio
eschara.*

Quod postea scribis, dum te symptoma doloris aliquandiu à curatione morbi distineret, feruens oleû infusum vlceri, non tantû nihil doloris, verum etiâ sensum iucundum attulisse, istud profectò venenum planè fuisse frigidum, atque adeo tuo experimento, sententia PETRI SALII DIVERSI, asserentis, venenum canis interdum temperamenti huius existere, prorsus stabiliri videtur.

*Qualitas
veneni.*

Sanè ex sententiâ quoque tua, curandû vt vlcus hîc fluat quàm diutissimè, neque audiendi Methodici qui fluidos affectus sistant, à quacûque illi causa processerint, cum vel empirici videant, (referente Galeno de sect.) quos rabidus canis momordit, si statim vlcus ad cicatri-

*Retenti
ulceris.*

cem ducatur, prius non administratis remediis, quæ ab ipsius causæ procatarcticæ indicatione sumuntur, conuulsos omnes animam exhalare, seruari autem, quibus iuxta indicationem illius adhibita fuerit medendi ratio. Dogmatici verò, siue Rationales, in quibus nullum habent accidens manifestum, quod causam ipsam demonstret, in his causam, procatarcticam non cunctantur inuestigare. Ut si canis rabidus fuerit, aut vipera, quod momordit, tunc sanè minimè cicatricem statim inducant ulceri, sed potius contrà, particulas, quæ circa vlcus consistunt, nōnunquam minutatim præcidunt, dein verò calidis, & acris medicamentis venenum extrahunt, quod in corpus vnà cum morfu est illapsum.

Indita ulceri.

Pisa quoque & spongiolæ tuæ in vlceribus hisce vehementer probantur. Sed præterire non possum, quandoquidem huc spectat, imprimis elegantes videri mihi etiam pilulas illas THOMÆ FIENI (opere de cauteriis) ex agarico, iride, zedoariâ, aut alio ligno venenis resistente, oblitâ theriaca, aut Mithridatio, & sic inditas.

Attrahentia.

Nec omittis præcipua illa, & nobilissima attrahentia, Theriacam nimirum, & exornatam bezoar puluerem præcipitati, quæ quidè nomine pulueris Angelici in præscriptione tuâ intelligo.

Theriaca.

Indere se solitum antidotum illam in vulnus prodit Galenus ad Pisonem, ut cucurbitule instar exugeret, ab altoque virus ipsum extraheret, ut quæ non modò epota, sed etiam admota extrinsecus, rabidorum moribus præsentaneum remedium existat. Itaque non immeritò

PAREVS

PAREVS excellere cæteris, hoc loco & affectu Theriacam indicat, (hoc solo remedio se feliciter vsum professus) aquâ vitæ, vel vino generoso dissolutam, duriusque, sic vt cruore manet, affictam, impositis illo deterfo, linamentis eodem medicamento imbutis, mórque superpositis alliis, vel cæpis communibus, cum sale vulgari, & therebinthina intritis. Neque certè inferiora tua sunt.

Magnificè à Matthiolo Precipitatum commendatur, siquidem id eximium præstantissimumque medicamentum appellans, (in 6. Dioscorid. de vstione demorsorum) præter id quòd vulnus occludi prohibeat, diuque patens seruet, ex alto ad superficiem potenter venenum attrahere asserit, eâque re, cætera huiuscè facultatis præcellere medicamenta, iam dudumque se certiorè esse in vniuersâ medicæ facultatis materia nullom haberi medicamentum, quod valentius ab alto reuocet, extrahâtque virus.

Ad alterum scopum, venenosæ nempe malignitatis à visceribus depulsionem, duo Gale-
nus efficacissima selegit, Theriacam iterum, & cancrorum fluuiatilium cinerem. Illâ igitur in VVILLOMETO vsus, nunc cancris, in hac matrona, Gamaros haud abs re substituis. Mihi quidem arridet Pelopis doctoris Galeni sententia: Cancrum cum animal sit aquaticum, prodesse à cane rabido morsis, quibus videlicet metus est, ne corripiantur affectu siccissimo, nempe rabie, & ne aquam metuant: fluuiatiles conuenire, non ma-

Precipitatum.

Alexipharmacum.

Gamari.

rinos, quòd animalia marina, ob admistionem
 falis naturâ siccissimi, haud æquè exactè tuean-
 tur eam, quæ est aduersus rabiem, contrarieta-
 tem, cætera autem in potabili aquâ degentia
 animalia similem cancris præparationem non
 admittere, horum enim vstorum cinerem, ex-
 ficatorius cum sit, canum mordentium ve-
 nenum absumere, simulque digerere. Quæ
 quidem in Gammaram quadrant etiam, a-
 deò cancro (præsertim si chelæ & brachia
 forcipata spectentur, nam caudâ quidem
 cancer destitutus est) similem vt vulgus eo-
 dem vtrumque indigitet nomine. Thuris
 in puluere tuo cernitur pars vna, quinque
 autem gentianæ, porriò Grammarorum de-
 cem, planè vti præscripsit præceptor noster
 Galenus, apud quem singulare illud cineris
 Cancrorum n. simplic. exstat encomium. Quod
 NULLVS VNQVAM eorum, qui illo fuerunt vsi,
 sit mortuus.


*Cinns can-
 crorum.*

*Paroxismi
 à veneno
 canino.*

Paroxismi denique illi, agitationes, motus
 conuulsiui, & pauores, satis ostendunt, quàm
 grauitè iam principes partes concuti oppu-
 gnariq; à veneno cæptæ fuerint, vt nisi tam
 strenuè, tantaque industria & vigilantia arcem
 defendisses, dubio procul in hostis potestatem
 ventura fuisset.

Quare si quid iudico, vir præstantissime, Ma-
 trona hæc Paterniacensis vitam tibi post Deû,
 perpetuamque gratitudinem debet. Ego quo-
 que quòd eiusmodi præclarâ Observatione
 me dignatus fueris, immortales tibi debeo
 gratias. Hortor interim, vt in obseruandis tuis,
 com-

communicandis que solertissimis curationibus indefesso studio pergas, quo toti Reip. humanoque generi maiorem in modum commodes, æternique nominis inde claritatem meritissimam consequaris. Deus commodo bonoque communi quam diutissimè saluum te seruet & incolumè. Vale nobilis Machaon amice perpetue, Freiburg, Heluet. 10. Iulij 1608.



OBSERVATIO XCIX.

Ex strictioribus arctioribusque infantulorum involucris, gibbo-

sitas. N. Schwachium lib. 2. obs. 59.

IN quibusdam Regionibus & familiis moris est, ut infantulos statim à partu inuoluendo (nescio quibus de causis) fasciis arctè nimis stringant. Unde sæpiùs euenit, ut eorum corpora & artus gibbis, aliisque deformitatibus genuum ac tibiærum &c. protuberent. Quin autem ob strictiorem inuolutionem id accidat, non est, quòd quisquam dubitet: siquidem ossa adhuc tenera, mollia & cartilaginosa facilè retorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excrementia indurefcunt, id quod ego in multis obseruavi. Hanc etiam ob causam solent infantulorum capita (magno ipsorum damno) in longitudinem excrescere, atque sic sphericam figuram amittere, idque semper in potenciali cauterio, seu fon-

N
multivna et
obliquam
notarum f.
miusam sup.
obliquam in
coarctatis
infantum cor,
infantis.

tanella, ut vocant, in ceruice accidit, quemadmodum Observatione 42. Centuriæ 1. fufius declaratur. Nutrices quoque nonnunquam studio, infantulorum decorandorum gratia, (sicuti ipsæ quidem existimant) capita eorundem fasciis arctius constringere consueverunt, ut in longitudinem excrescant. Sed quemadmodum gibbus pulmonem opprimit, atque difficultatem anhelitus seu asthma parit: sic quoque cranio compresso & in longitudinem extenso, cerebrum eiusque ventriculi simul comprimuntur. Vnde spiritibus non satis præparatis atque elaboratis, caput debilitatur, catharrisq; fit obnoxium. Et si huiusmodi pueri adolescentant, quod tamen rariùs accidit, ingenio sunt tardiori hebetiorique. Hæc in gratiã patrum, seu potiùs matrum familias monuisse, visum fuit.



OBSERVATIO C.

*Iuuenis, cui utraque tibia amputata fuerat,
post absolutam curationem, dysenteriam correptus,
obijt.*

IVuenis quidam ex Germanis militibus in Sabaudia profligatis, quorum in Tractatu de Gangræna & Sphacelo, capite quarto, mentionem feci, gangrænâ utraq; in tibia laborans,

rans,

rans, Geneuam venit, ibique in Nosodochio humaniter exceptus, & IOHANNI GRYFFONIO Chirurgo præstantissimo, & mihi, curandus commissus fuit. Tibias ad genua præsentibus IANO ANTON. SARAZENO, MARCO OFFREDO, & ESAIA COLLADONIO, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, rescidimus, & curationem feliciter absolui-
mus. Deindè circà principium Mensis Aprilis, & post sex septimanas à sanatione, quàm tempus peregrinationi aptum expectaret, ecce febre continuâ, dolore, ac torminibus ventris, tandèmq; dysenteriâ corripitur, ex qua medicamentis liberari non potuit, sed post dies aliquot è vita discessit.


ANNOTATIO.

Causam morbi huius grauissimi Medici præallegati, ad refluxum sanguinis ad hepar referebant. Quùm enim iuuenis esset plethoricus, ac iam ineunte vere sanguis denudò in ipso copiosè regeneraretur, & pro more, ad crura, pro eorùm alimento descendere vellet, vias verò ductúsque assuetos sibi rescissos occultósque offenderet, impetuosè ad hepar venámque cauam refluxisse, ibique primò inflammationem, postmodùm reliqua symptomata inuexisse aiebant, quod & rationi consonum est.

Hinc videre licet, quàm periculosus sit, san-

guinis ad hepar refluxus, vti quoque Obser. 47
huius Centur. monui. Quomodo autem malo
huic in iis, quibus membrum aliquod ampu-
tatum, occurrendum sit, Lector ex Tractatu de
Gangræna colligere poterit.

FINIS.



d
I
Gen
C
De
d
I
An
De
P



I N D E X

OBSERVA- TIONVM ET EPI- STOLARVM HVIVS CENTVRIÆ.

- D**E effigie oculi humani, artificiosè omnes eius partes exprimente. Magnifici, Strenui, antiquiss. Equest. prof. ap. æ, Herois D. *Henrici à Licke* Toparchæ in Ouergaard, Sereniss. Regis Dan. æ à Consil. Castri Orneburgici &c. Præsidis filii Dn. Dn. *Georgio & Francisco à Licke* fratrib. Danis, Epistola. Obser. 1. pag. 1.
- Georgij & Francisci à Licke* F. ad Clarissimum virum D. *Guilhelmum Fabricium Hildanum* apud Paterniacenses Medicum & Cheirurgum ordinarium, responsio. pag. 3.
- De globulo plumbeo, menses sex nullo superueniente symptomate, in cerebro contento, ad Reuerendum & Clarissimum virum Dn. Doct. *Antonium Fayum* SS. Theologiæ apud Geneuenses Professore, epistola. Obser. 2. pag. 6.
- Antonij Fayi* ad *Guilhelmum Fabricium Hild.* Responsio. pag. 7.
- De *Cranij introcessione*, quam grauissima symptomata sequuta, exempla aliquot. Obs. 3. pag. 9.

E e

I N D E X.

- De elevatione Cranii, in adultioribus præcipue Obs.
4. pag. 12
- Puerorum depressum cranium, quomodo eleuandum
Obs. 5. pag. 20.
- Ex perforatione cranij neglecta, mors sequuta Obs.
6. pag. 25
- Suturæ cranij ex vehementissimo dolore capitis dis-
iunctæ Obs. 7. pag. 26
- Quidam inueterata Cephaleâ laborans, accepto vul-
nere lethali ad coniunctionem suturarum coronalis
& sagittalis, à morbo inueterato liberatus fuit, ubi
mul de perforatione suturarum, & vulneribus tem-
porum agitur. Ad Clariss. & doctissimum virum
D. Iohannem Fridericum Verdenbergium Doctorem
Medicum Basiliensem epistola Obs. 8. pag.
27
- Iohannis Friderici Verdenbergij ad D. Guilhelmu[m] Fr.
bricium Hildanum epistola pag. 28
- Inueterata hemicrania copiosissima sanguinis per a-
uum profusione curata Obs. 9. pag. 29
- Hemicrania inueterata extractione dentium curata
Obs. 10. pag. 39
- Ex suppressis hæmorrhoidibus mictio sanguinis &
paralysis sequuta, eiusdem paralysis curatio Obs.
11. pag. 42
- Ex diuturna defluxione ad dentes Ophthalmia, &
visus alterius oculi abolitio Obs. 12. pag.
46
- Qua ratione arena, festucæ, segmenta, aliâque similia
ex oculis extrahenda Obs. 13. pag. 47
- Ex abscissione venæ ad maiorem oculi canthum, mors
subitò sequuta Obs. 14. pag. 48
- Sanguinis per nares profluum quomodo sistendum
Obs. 15. ibid.
- De periculosa hæmorrhagia narium in sene, quomo-
do cohibita fuerit Obs. 16. pag. 48
- Aliæ hæmorrhagiæ periculosæ curatio Obs.
17. pag. 48
- Ex maxima hæmorrhagia, Cachexia tandemque mors
sequuta

I N D E X.

- sequuta Obs. 18. pag. 59.
- De Vuula in fungum scirrhosum degenerata Obs. 19. pag. 60.
- De tumore scirrhoso ad radicem gurgulionis Obs. 20. pag. 63.
- De Vuula relaxata curatione, ad Clarissimum atque Doctissimum virum Dominum Doct. *Michaelen Doringium*, in illustri Academia Giessena Hassor. Medicinæ Professore longè celeberrimum, epistola Obs. 21. pag. 64.
- De Ozæna grauißima cū ossis palati erosione, ad Ornatissimum atque doctiss. virum *D. Emanuelem Vrstisium* Artium liberalium Magistrum, Epistola Obs. 22. pag. 83.
- Ex suffitu Ozæna grauißima, aliáque symptomata, ad eundem *D. Emanuelem Vrstisium* epistola Obs. 23. pag. 95.
- Ex suffitu Ophthalmia Obs. 24. pag. 98.
- De grauißimis quibusdam capitis aliarumque partium vulneribus, & foetore cadaueris post mortem maximo ac teterrimo. Item
- De Cornuto quodam homine historia admiranda, *Emanuelis Vrstisij* ad *D. Guilhelmum Fabricium*, epistola Obs. 25. pag. 99.
- De percussione quadam grauißima in occipite, ex qua mors, & foetor horrendus sequutus est, ad Ornatissimum atque doctissimum virum *D. Emanuelem Vrstisium* Artium liberalium Magistrum Obs. 26. pag. 108.
- De corde adhuc viuento non exigua sui parte putredinem passo Obs. 27. pag. 111.
- Ingens abscessus inter pleuram & costas repertus Obs. 28. pag. 112.
- De lapidibus in pulmone repertis, exempla tria Obs. 29. pag. 113.
- Frustula pulmonis per vrinam excreta Obs. 30. pag. 114.
- De materia Pleuritidis per vrinas expurgata, ad Clarissimum atque doctissimum virum *D. Doct. Ianum Antonium Sarrazenum* Philosophum

I N D E X.

- acutissimum, & Medicum Regium longè celeberrimum
 Ob. 31. pag. 115
- De vulnere quodam pectoris, cum abscissione portionis cuiusdam ipsius pulmonis Clariss. D. Doct. *Abeli Roscij* ad D. Guilhel. Fabricium. Hild. epistola
 Obs. 32. pag. 117
- De vulnere quodam admirando pectoris, cum diaphragmatis dilaceratione, & ventriculi suo loco amotione, D. Doct. *Danielis Sennerti* in Illustriss. Academia Vvittebergenfi Medici Professoris ad D. Guil. Fabricium Hild. epistola
 Obs. 33. pag. 119
- De vulnere abdominis cum abscissione portionis cuiusdam Hepatis, ad Ampliss. virum D. Doct. *Danilem Sennertum* epistola
 Obser. 34. pag. 121
- De fungis læsarum corporis humani partium Clarissimi atque Celeberrimi viri D. Doct. *Danielis Sennerti*, ad D. Guilhelmum Fabricium Hildan. epistola
 Obser. 35. pag. 127.
- De fungis tam carnosis, quàm osseis in diversis corporis partibus nascentibus, ad Amplissimum atque Clariss. virum D. Doct. *Danielem Sennertum*, responsio
 Obs. 36. pag. 131
- Ex abscessu musculorum abdominis interiùs rupto, mors sequuta
 Obs. 37. pag. 146
- Quidam abscessu desperato musculorum abdominis laborans, magna cum admiratione omnium, curatus fuit
 Obs. 38. pag. 148
- Abscessu ingenti è regione hepatis adaperto, subito mors sequuta est
 Obser. 39. pag. 149
- De prodigiosa puellæ Colonienfis inedia, ad Virum Nobilem D. Doct. *Paulum Lentulum* epistola
 Obs. 40. pag. 151
- De Puello non sustinente panem nominari nedùm videre, ad eundem D. Doct. *Paulum Lentulum* epistola
 Obs. 41. pag. 153
- De quadam inedia specie in iuvene, ad eundem virum
 rura

I N D E X.

- rissimum atque Præstantissimum virum D. Doct.
Jacobum Zuingerum Academiæ Basiliensis Professo-
 rem & Medicum celeberrimum, atque pro tempore
 Rectorem Magnificum, epistola Obs. 52.
 pag. 180.
- De Mola aquosa, ad eundem Virum clarissimum at-
 que excellentissimum D. Doct. *Jacobum Zuingerum*
 epistola Obs. 53. pag. 191
- Mulier septimo mense Molam enixa, nono mense fi-
 lium peperit, diu incolumem. Ad eundem virum D.
 Doct. *Jacobum Zuingerum*. Obs. 54. pag.
 196.
- Jacobi Zuingeri* ad *Guilhelmum Fabricium Hild.* Chir-
 rurgum præstantissimum, responsio pag.
 197
- De ingenti mola, & vtero peritonæo adnato ad
 Clarissimum atque Excellentissimum virum D.
 Doct. *Jacobum Zuingerum* &c. epistola Obs. 55.
 pag. 199.
- De hydrope vterino, comitante foetum ad eundem vi-
 rum Clarissimum D. Doct. *Jacobum Zuingerum*, epi-
 stola Obs. 56. pag. 202.
- Jacobi Zuingeri* ad *Guilhelmum Fabricium Hild.* Medi-
 co-Chirurgum præstantissimum, epistola. pag.
 207
- De ventre viri cuiusdam post dissectionem puris ple-
 no inuento, ad Clarissimum atque Doctissimum vi-
 rum Dom. Doct. *Jacobum Zuingerum* &c. epistola
Obs. 57. pag. 222
- De apertione vmbilici in infantulo, & in quibusdam a-
 lils, de que maximis inde sequutis commodis ad eun-
 dem Virum clarissimum D. Doct. *Jacobum Zuingerum*
 epistola Obs. 58. pag. 225
- Quæ in dissectione foetus obseruatu digna reperta
Obs. 59. pag. 231.
- Menstrua in puella vndecimo anno ætatis suæ erum-
 punt Obs. 60. pag. 232
- Menstrua ad annum vsque 78. profluunt Obs. 61.
 pag. 233.

Ex

I N D E X.

- Ex suppressione menstruorum inflammatio colli matricis
Obs. 62. pag. 234
- Ex menstruis suppressis vlcus in collo matricis exortum.
Obs. 63. pag. 235
- Ex suppressione mensium, inflammatio & gangraena colli matricis
Obs. 64. pag. 236
- De vrinae retentione, in qua plurima obseruatione digna occurrunt, ad Clarissimum atque doctissimum virum D. Doct. *Philibertum Sarazenum*, Iani *Antonij F.* Epistola.
Obs. 65. pag. 237
- Ad eundem Clarissimum atque doctissimum virum, *Philibertum Sarazenum* medicum celeberrimum *Guilhelmi Fabricij Hildani* epistola. In qua de retentione vrinae agitur.
pag. 243
- De admiranda fractura brachij *Philiberti Sarazeni*, ad Clariss. virum D. *Guilhelmum Fabricium Hildanum* epistola
Obs. 66. pag. 246
- Philiberti Sarazeni* ad Clarissimum virum D. *Guilhelmum Fabricium Hildanum* epistola
pag. 251
- De admiranda pedis fractura, ad Clarissimum atque doctissimum virum D. *Philibertum Sarazenum* epistola
Obs. 67. pag. 253
- De admiranda fragilitate ossium, Iani De Burgo ad *Guilhelmum Fabricium Hildanum* epistola
Obs. 68. pag. 256
- De admirando quodam capitis affectu, ad Clarissimum atque doctiss. virum D. Doct. *Ianum De Burgo* epistola
Obs. 69. pag. 259
- De lato quodam ac longo lumbrico, historia prima, ad Clarissimum doctissimumque virum D. Doct. *Philibertum Sarazenum* epistola
Obs. 70. pag. 265
- De latis lumbricis, historia altera, *Philiberti Sarazeni* ad Clarissimum virum D. *Guil. Fabricium Hildanum* epistola
Obs. 71. pag. 268

I N D E X.

Ioh. Iacobi Craffii Doctoris Medici ad *D. Guilhelmum Fabricium Hildan.* Epistola. pag. 273

De latis lumbricis miræ longitudinis historia tertia ad clarissimum atque doctissimum virum *D. Ioh. Iac. Craffium* apud Neocomenses Medicinæ Doctorem, epistola Obs. 72. pag. 278

De latis lumbricis historia quarta, ad eundem clariss. virum *D. Doct. Ioh. Iacobum Kraffium* epistola Obs. 73. pag. 283

Ex dolore colico neglecto abscessus in colo intestino, & mors sequuta Obs. 74. pag. 286

Ex suppressis hæmorrhoidibus, suppuratio & fistulosa v. cera sequuta Obs. 75. pag. 287

Quidam ex maxima combustione eadem die moritur, ad viros Generosos *Dn. Dn. Georgium & Franciscum A Lycke Fr.* epistola Obs. 76. pag. 288

De aliis quibusdam lethalibus combustionibus, ad virum Generosum *D. Georgium A Lycke Danū,* epistola Obs. 77. pag. 290.

Ex lacte coagulato scirrhus canerosus, aliaque incommoda sequuta, ad Clarissimum atque Doctiss. virum *D. Andream VVeickium* Medicinæ Doctorem, epistola. Obs. 78. pag. 293

De excisione tumorum axillarum, & abscisione mammarum, ad eundem *D. Doct. Andr. VVeickium* epistola Obs. 79. pag. 296

Incipiens scirrhus ex lacte coagulato quomodo sanatus Obs. 80. pag. 303

Ex prolapsu intestinorum in scrotum, gravissima symptomata, tandemque mors sequuta, ad clarissimum atque doctissimum virum *D. Sebastianum Meyervum* Reipub. Freyburgensis Auenticor. Doctorem Medicum ordinarium, epistola. Obs. 81. pag. 305

De nobili enterocelico, Observationum utilitas, Enteroccele curata diuinitus, *D. Doct. Sebastiani Meyeri,* ad *Guilhelmum Fabricium Hildan.* epistola. 312

Intestina

INDEX.

- Intestina in scrotum prolapsa, quomodo reposita
 Obs. 82. pag. 316
- De Gangræna ex contusione, quæ totum crus, scro-
 tum, & inguen spacio 24. horar. mira cum celeri-
 tate inuasit, atque ægrum è medio sustulit, ad Am-
 plissimum virum D. *Gregorium Horstium* Medi-
 cinæ Doctorem Epistola Obs. 83,
 pag. 321
- Gregorij Horstij* D. & Medic. Professoris ad Dn. *Guilh. Fa-
 bricium Hildanum* epistola pag. 330
- Eiusdem D. *Gregorij Horstij* de Iuvene quodam Som-
 nambulone ad D. *Guilh. Fabricium Hildanum* episto-
 la Obs. 84. pag. 336
- De Somnambulonibus & nonnullis aliis, qui ab alto
 deciderunt, absque magna læsione, ad clariss. Dn. D.
Gregorium Horstium epistola Obs. 85.
 pag. 347.
- De Gangræna gravissima ex morfu equi progenita, ad
 Clariss. Dn. *Antonium Toxotium* Med. Doct. epistola
 Obs. 86. pag. 351.
- Gangræna ex frigore & congelatione Obs. 87.
 pag. 359
- Gangræna ex intemperie frigida & sicca, cum defectu
 alimenti curata Obs. 88. pag. 360
- De Gangræna ex intemperie frigida & sicca, deque
 aliis obseruatione dignis in cadauere ex diuturno
 morbo absumpto, repertis Obs. 89. pag.
 363
- De membrorum contusorum & contortorum pericu-
 losa extensione Obs. 90. pag. 368
- Ex nimis tarda solutione deligationum in fracturis,
 quæ symptomata sequuta. Obs. 91. pag.
 373
- De Euphorbio, Obseruatio singularis, ad Amplissi-
 mum virum D. Doct. *Casparum Bauhinum*, Anato-
 micum & Botanicum Celeber. epistola Obs. 92,
 pag. 377
- De altera quadam specie scordij, ad Clarissimum &
 doctissimum virum D. *Georgium Ienischium*, Me-

I N D E X.

- dicinæ Doctorem Epistola Obs. 93. pag. 381
 De Alliaria, ad eundem Clarissimum virum D. Doct.
Ienischium epistola. Obs. 94. pag. 383
 De Alliaria Amplissimi viri D. Doct. *Cassari Bauhini*,
 ad *Guilhelmum Fabricium Hildanum*, epistola. pag. 385
 De Peste extinctis non illicò inhumandis, aliquot e-
 xempla, ad Clarissimum atque Doctissimum virum
 D. *Ioh. Iacob. Crafftium* Med. Doctorem epistola
 Obs. 95. pag. 390
 De Peste aliisque morbis acutis extinctis, non protin-
 nus inhumandis, historiis quinque ostenditur, *Ioh.*
Iacobi Crafftij ad *Guilhelmum Fabricium Hildanum*
 epistola Obs. 96. pag. 397
Sebastiani Meyeri Medicinæ Doct. ad *Guilhelmum*
Fabricium Hildanum epistola. pag. 406
Guilhelmi Fabricij Hildani, ad dubia nonnulla in
 curatione morsus canis rabidi, à Clarissimo viro
 D. Doct. *Sebastiano Meyero* proposita, responsio.
 Obs. 97. pag. 408.
Sebastiani Meyeri Medic. Doct. ad curationem de mor-
 su canis rabidi, vna cum remedio memorabili ad
Guilhelmum Fabricium Hildanum responsio pag. 413
Guilhelmi Fabricij Hildani de morsu canis rabidi, ad
 Clarissimum atque doctissimum virum D. *Sebastia-*
num Meyerum Reipub. Freyburgens. Auenticor.
 Doctorem Medicum ordinarium, epistola Obs.
98. pag. 414.
Sebastiani Meyeri Medicinæ Doct. de morsu canis
 rabidi ad D. *Guilhelmum Fabricium Hildanum* re-
 sponso pag. 423
 Ex strictioribus arctioribusque infantulorum inuolu-
 cris gibbositas Obs. 99. pag. 429
 Iuuenis, cui vtraque tibia amputata fuerat, post abso-
 lutam curationem, dysenteriam correptus, obiit.
 Obs. 100. pag. 430

F I N I S.

NB

